DISSERTATIO MEDICA

De

PORIS CORPORIS HUMANI,

Quam

DECRETO ET AUCTORITATE ILLUSTRIS FACULTATIS MEDICÆ, IN CELEBERRIMA ACADEMIA JENENSI,

PRAESIDE

Viro Nobiliſſimo, Excellentiſſimo atq; Experientiſſimo

DN. JOANNE THEODORO SCHENCKIO,

Med. Doctore, ejusdemque Theoretices Profeſſore Publico famigeratiſſimo;

Dn. Patrono atque Præceptore ſuo maximè colendo,

publicæ ventilationi ſiſtit

MELCHIOR FRICCIUS, Ulmenſis,

Auctor & reſpondens.

H. L. C. ad Id. Novembr.

MDCLXX.

JENÆ,

Typis KREBSIANIS.

VIRIS

NOBILISSIMO, Plurimum REVERENDO, AMPLISSIMIS, ET PRÆCLARISSIMIS,

DN. JOANNI PFAUZIO,

Med. Doct. celeberrimo, Phyſico Reip. Ulm. Ordinario, ibidemque Phyſices Profeſſori Publ. digniſſimo,

DN. M. JOANNI FRICCIO,

ad ædem SS. Trinitatis Diacono vigilantiſſimo, & Logices in Gymnaſ. Patrio Prof. Publ. celeberrimo.

DN. M. GUILIELMO DIEZIO,

in eodem Gymnaſio Con-Rectori meritiſſimo.

Dominis ſuis Patronis, Fautoribus atq; Præceptoribus ſummè colendis

hanc Diſputationem qualemcunque

D. D. D.

MELCHIOR FRICCIUS.

EXIMIO ET ERUDITISSIMO

DN. MELCHIORI FRICCIO,

ULMA-SUEVO,

Philoſophiæ & Medicinæ Cultori ſolertiſſimo, Inquilino & Amico meo perquam dilecto,

De poris partium corporis ſolidè diſputanti,

IOANNES THEODORUS SCHENCK,

M. D. P. P.

ſalutem.

Reſtituo Tibi, Eximie FRICCI, quam de poris corporis humani diſputationem proprio marte exaraſti, atque publicè ventilandam hoc in illuſtri Athenæo cenſuræ ſimul atque patrocinio meo diebus quatuordecim abhinc humaniter ſubjeciſti. De qua aliter pronunciare non poſſum, quam rem in ea ut minutiſſimam & utiliſſimam ita propoſitam & examina-

tam

tam fuiſſe, ut quivis aperte ingenii tui acumen, & quam bene à puero educatus ac informatus fueris cognoſcat.

Nec enim ſubſultoriè philoſophica humanioribus conjunxiſti opera, ſed ab ovo quod dicitur artem, cui te addixiſti, auſpicatus es; non contentus ut ex omnibus aliquid ſaltem, ceu mos multorum hic eſt, addiſceres, ſed totis viribus eò potius contenderes, quo rerum cauſas indeque effectuum dependentes varietates ac uſus ſolidè apprehenderes; quod equidem medii genus ut rariſſimum eſt, ita omnibus modis laudandum & commendandum. Inſuper & hoc quoque teſtimonii dare me Tibi veritas jubet, quod per biennium, quo nobiſcum vixiſti abeſſe à muſarum tuarum domicilio unum alterumque diem te non viderim, multo minus autem aliena tractantem; pravo ſodalitio gaudentem, aut etiam commeſſationibus indulgentem. Quei ergo bona arbor malos fru-

fructus ferat non video. Cur gratulari tuo de adventu, de ſtudio, de profectibus in eo jactis non debeam? Sæpius animum ſubiit utrum plus voluptatis capere poſſit parens de pulchrè nato ſibi filio, quam præceptor de probe edocto quodam diſcipulo. Nihil enim ad immortalitatem docentis famam magis perducit, quam ſi auditores poſt ſe & literis & moribus excellentes relinquat. Ut itaque non puduit Platonem Auditorem ſuum Ariſtotelem νοῦν vocare, eumque omnibus anteponere: ita nemo mihi vitio vertet, ſi eruditionis præclaræ exemplar Te nominavero, quo de literatus orbis ſibi gratulari jure debeat, civitasque incluta Ulmenſis multa in rempubl. redundatura ſibi ſperet commoda.

Aquilarum ea fertur in viribus pullorum ſuorum percontandis eſſe ſolertia, ut in altum abreptos ſecum ſplendidisſimis ſolis radiis objiciant, cujus obtutum con-

ſtanter

ſtanter ferre ac primum perſentiunt, paternarum virtutum hæredes eos genuinos multo majori ac ante proſequuntur affectu.

Te mecum ſi Deus vitam & ſanitatem conceſſerit in cathedram locum ubique ſublimem lubens eveham, ut, quam genuinus artis filius ſis ad ignem δοκιμαστικὸν, ubi ſatis incalueris Te meum profiteantur omnes. Supremus omnium rerum arbiter faxit, ut res cedat feliciter!

Dabam è Muſeo Cal. Novembr.
M. DC. LXX.

D. O. M. A.

DISSERTATIO MEDICA

de

PORIS.

§. I.

QUi rerum naturas rimantur, earumque cauſas inveſtigant, præmiſſa nominis *ἀναλύσει*, *τοῖς καρκίνους μασσωμένοις ἐοίκασι, οἱ διὰ τρόφιμον πρῶτον περὶ τὰ ὀστᾶ ἀσχολοῦνται*, cancros edentibus ſimiles ſunt, qui alimenti gratia, circa cruſtas auferendas primò occupantur.

§. 2. Ut enim neque his ſine cruſtarum amolitione optato nutrimento frui licet: ſic etiam, neque illi qui rei explicationem, ſine nominis interpretatione tentant, *τρόφιμον* ejuſdem unquam deguſtabunt, ſecundùm tritum illud quod fertur: *Nucem frangat, qui vult eſſe nucleum.*

§. 3. Siquidem ut *Jul. Caſ. Scaliger exerc. 1. ſect. 1. ait*, oportet prius vocis ipſius uſum cognoſcere, quo ſæpenumero provehimur in rei perceptionem, quemadmodum id ipſum *Plato* in *Cratylo*, multisque in locis *Ariſtoteles* oſtendit.

§. 4. Cujus rei neceſſitatem animadvertens ego, onomatologiam frontiſpicio diſputationis hujus inſerendam cenſui, quo mihi remotis impedimentis ad rem ipſam aditum parem, ſimulque conſilii mei interpretem agam.

§. 5. In voce autem *tria* potiſſimum attendenda ſunt. 1. *Etymologia*, ſeu vocis origo. 2. *Homonymia*, ejuſdem ſignificatio. 3. *Synonymia*, æquivalens ejuſdem appellatio.

§. 6. *Origine Porus* vocabulum Græcum eſt, Latinitati attamen donatum, à *πόρος* quod à *πείρω* tranſeo, tranſmeo, derivatur, Græci enim per *τὸ πόρον* quemvis meatum denotant.

 §. 7. Ho-

§.7. *Homonymia* pori multiplex eſt. *Vel* enim *ſtrictè* & κατ' ἐξοχὴν ſumitur pro cavitate nervi optici, & dicitur porus opticus: *modò* pro ductu bilem ex hepate in veſiculā transfundente & expellente, diciturq; porus cholidochus: Vel *latè* pro quibuscunq; meatibus tum *ſenſibilibus*, quales in venis, arteriis, nervis, inteſtinis, ventre, jecinore, liene, renibus &c. inveniuntur, tùm *inſenſibilibus*, per totum corpus ſparſis.

§.8. Ego medio modo vocabulum hoc accipiens poros pro meatibus parvis, & ſenſum ſimul fugientibus, ſumo qui non tantùm ſuperficiem partium occupant, ſed per totam etiam carnis, oſſium, cartilaginum, nervorum, ligamentorum, membranarum & cutis ſubſtantiam diſſeminantur.

§.9. Dicitur etiam *Porus* lapis arenarius, friabilis, alioquin aſper & inæqualis. Idem tophum ſignificat, tum qui in arthriticis, tum qui in calculoſis generatur. Cum enim humor crudus lentorem aſſumpſerit, tranſitus autem in renes in quibuſdam naturis anguſti ſint, id quod craſſiſſimum eſt & maximè lentum diutius ibidem moratur, & tophum gignit. *Galen. l.1. de facult. alim. c.5.*

Porus denique & callum ſignificat, ad quem gignendum cogi & concreſcere aliquid proprii oſſium alimenti oportet, id quod in fracturis oſſium cumprimis accidit. *6. method. c.5.*

§.10. Verùm hæ acceptiones à noſtra longè alienæ ſunt, nec nomina eoſdem natales agnoſcunt. Porus enim, quando tophum ſeu callum ſignificat, penultimam productam habet, & à Græco πῶρος derivatur; quando autem meatum, corripitur, à πόρος utpote deductus.

§.11. *Synonymiam* pori quod attinet, ea pariter multiplex eſt. Appellantur enim pori aliàs meatus inſenſibiles, ductus cœci, latebræ, cavernulæ, cavitates latentes, & inconſpicuæ, mæandri, cuniculi occulti &c.

§.12. Tenuiſſimos meatus hos vocabat *Cardanus*, verùm minus latinè, notante *Jul. Cæſ. Scaligero exerc. 282. ſect. 3.* Tenue „namque exile eſt extenſum. Quicquid tamen inter terminos „capitur ſolidum. Meatus autem nihil aliud quàm cavitas eſt.

An-

Anguſtum hunc, qui caſtè integreque verſantur in latina lingua,,, vocant. Illud igitur τάσιν ἔχει ut loquitur *Ariſtoteles*: Hoc au-,, tem ἄγγει, ob laterum viciniam. Hoc στενὸν, illud λεπτόν. Sic,, neque magnos meatus poſſumus appellare craſſos. Craſſus autem tenui opponitur, ut magnus parvo.

§. 13. Non invenuſtè eos *Galenus* mutuas venarum & arteriarum anaſtomoſes vocavit. In toto corpore mutua eſt anaſtomoſis *inquit* ille *lib.6.de uſu part.c.10.*atq; oſcillorum apertio arteriis ſimul & venis, tranſumuntque ex ſeſe pariter ſanguinem & ſpiritum per inviſibiles quaſdam atque anguſtas plane vias. Idem inſinuat *l.c.c.17.l.de uſu pulſ.c.5 ſimiliter l.3.facuit.natur. c.ult*. Eodem nomine hos ſalutavit *Thom. Bartholinus anat. l.1. c.14. p.m.91. Idem Julius Jaſolinus.*

§.14. Nominum cruſtâ ablatâ, nobis in conſpectum venit, ſeſeque ad contemplandum ſiſtit τὸ τρόφιμον ipſius rei. Cujus cum διάσκεψιν ἀναλυτικὴν hic inſtituere mihi ſit propoſitum, à definitione initium ſumo quæ talis:

§. 15. Pori ſunt meatus inſenſibiles partium corporis noſtri, ab earumdem virtute πλαστικῇ, mediante calore, pro commoda alimenti diſtributione, excrementorum verò excretione producti.

§.16. *Genus* pori eſt vel *proximum*, *l. remotum.*

§.17. *Proximum* eſt meatus, quod à fine rei demonſtro Meatus enim plerumque in hunc finem eſt conditus, ut aliquid per hunc transmeet. Atque exinde omne id, quod in noſtro corpore vel vehendo, vel expellendo alicui humori eſt dicatum, meatus nomine venit. Haud ſecus enim ac venæ & arteriæ ſunt meatus longi, teretes, vehendo atque revehendo ſanguini à naturâ deſtinati: ureteres meatûs urinam à renibus ad veſicam deducentes: inteſtina itidem meatus ad craſſiores feces excernendas producti: Ita etiam pori ſunt meatus humorum alimentoſorum recipiendorum, excrementoſorum verò expellendorum gratia facti atque fabricati.

§. 18. Intereà quibus porum per ſpacium, intercapedinem, vacuitatem &c. definire placet, illis non magnoperè adverſabor.

§. 19. Genus *Remotum* eſt accidens, quod partibus cor-

poris noſtri neceſſariò ineſt, cum illæ ſine meatibus nec eſſe, nec ſuis fungi officiis commodè queant.

§. 20. Non igitur hoc modo acceptus porus eſt pars, ſeu organum certis actionibus deſtinatum: ſed id, quod partibus neceſſariò inhæret, qualia etiam ſunt, magnitudo, numerus, figura, conformatio, connexio ſitûs &c. harumque actionibus uſum ſuum præſtant. Hinc cum duplex partium conſtitutio eſt, *altera* eſſentialis, accidentalis *altera*, non ad illam, ſed hanc, meatus hi aut pori propriè referuntur.

§. 21. Ubi obſervandum diſcrimen inter uſum & actionem. Actio enim *Thomæ Bartholino* eſt, qua partes vel toti animali, vel ſibi conſulunt: uſus autem ſeu finis auxilium, quod partibus ad ſuas functiones edendas confertur. E. g. viſcera in corpore noſtro, ut ſunt cor, hepar, lien, pulmo, renes &c. cavitates, meatus, certas figuras & conformationes fuêre ſortita, at quæritur in quem finem? Reſp. ut commodius fieret ſanguinis in iis elaboratio & depuratio, hæcque eò melius ſuas perficerent functiones. Sic quoque pori ſua conferunt ſymbola, ſeu uſus ad partium actiones edendas & perficiendas ſed quæris *quemnam uſum hi præſtent*? Reſp. ut melior alimenti diſtributio, excrementorum verò ſequeſtratio ſuccedat.

§. 22. Loco *differentiæ ſpecificæ* inſenſibilitatem poris tribuimus. Conſtat enim meatus in corpore noſtro duplicis generis eſſe, vel *conſpicuos*, ut ſunt venæ, arteriæ &c. vel *occultos*, ut pori; hos neque exquiſitiſſimo viſu prædito ſatis innoteſcere: illos cuivis conſpicuos & obvios.

§. 23. Pori cutis inſenſibiles propè tempore tamen hyberno ſatis conſpicui redduntur, cum corpus derepente denudatur, frigidiorisque aëris appulſui occurrit, tunc enim anſeris deplumati adinſtar, univerſam ſuperficiem in infinitos monticulos quaſi elevari conſtat. Neque enim *ἀόρατον* aliter à medicis uſurpatur, diminutionem ſummam rei & exilitatem denotans.

§. 24. Inſenſibiles autem abſolutè non ſunt, cum ſi hoc eſſet, nulla de illis ſuppeteret demonſtratio, nec certi quid haberemus ſine prævia ſenſuum notitia, ut teſtantur *Galenus & Ariſtoteles*

ſtoteles, ſed ſecundum quid, ratione nimirum ſuæ parvitatis & exiguitatis.

§. 25. *Senſibiles* autem ſuorum effectuum, & uſus, quem corpori egregiè præſtant, dici reapſe claret, quorum abſentiam in ſtatu præternaturali, magno cum ſalutis diſpendio experimur.

§. 26. Nec aliundè quàm ab hiſce inſenſibilibus meatibus nomen ſuum mutuata eſt ἡ ἄδηλος διαπνοὴ, *inſenſibilis tranſpiratio*, quæ per has inconſpicuas vias iter ſuum decurrit. Undè nec potuit debuitve ſenſibilis moles ulla pervadere vias has inſenſibiles, niſi quantitas ejus quoque accommodaretur illarum introitui.

Ut enim natura magnos meatus & conſpicuos fecibus terreſtrioribus & craſſioribus excipiendis & vehendis fabricavit: ſic hoſce inſenſibiles ſubtilibus itemque inſenſibilibus humoribus excernendis reliquit. Parùm huc facit, quod ſæpius craſſiuſculum quid ex poris exprimatur, moræ enim diutinæ hoc adſcribitur, quum & tenuia incraſſentur.

Differentia hæc ſpecifica alias poſt ſe trahit, à *figura*, *ſitu*, *connexione*, *magnitudine* petendas, quæ tantæ etiam ſunt utilitatis, quo ſine his rerum generationes & deſtructiones, quin & transmutationes ac conſervationes, fieri minimè poſſint. Quibus de *Excell. Dn. Præſes in ſua de poris diſſertatione propediem edenda, fuſius egiſſe legitur.*

§. 27. *Cauſa materiali* ſeu *materia* ex qua (ut quæ ſolis ſubſtantiis competit) pori in ſe conſiderati deſtituuntur, cum ſint accidentia, atque materiæ defectus potius & carentia, quia cavitates: habent tamen materiam in qua, ſive ſubjectum in accidentibus materiæ reſpondentem, ejusque locum ſupplentem, & ita cum complexo ſuo ſumti non expertes materiæ.

§. 28. Et hoc reſpectu diximus, ſubjectum pororum totum corpus eſſe, adeoque omnes ejus partes, eò quod totum ἔκπνοον καὶ εἴσπνοον exſpirabile ſit, idque non una & phyſicorum & medicorum experientia demonſtratur.

§. 29. In animi enim deliquiis, ceu ſcribit *in diſſertatione*

Academica de poris, Eraſmus Bartholinus, tam diſpendioſa eſt cunctatio remedii, ut, niſi ſtatim ſuccurrat analepticum medicamentum, ſæva nos mors ſtatim deprehendat; qua via autem perveniet momento ipſo ad cor ſubſtantia medicamenti, niſi particulæ refectioni deſtinatæ, per poros corporis quàm celerrimè dilaberentur? Nec enim credibile eſt, per vaſa quæ ore aſ-ſumta & hauſta ſunt, ſpirituoſa licet, ἐν νῦν ὥσπερ, ad cor deferri. Deinde cuinam quæſo medicorum incompertum eſt, pillulas ad evacuationem humorum peccantium aſſumtas, ſæpius integras & quaſi intactas, etiam poſt ſtrenuè peractam purgationem evomuiſſe vel per inferiora, ægros excreviſſe? Nec credendum, evacuationis alicujus op⁹ qualitate ſola aliqua iṁateriali abſolvi, cum ipſa ſubſtantia pillularum in minutiſſimas atomos à calore reſoluta, ad diſſitas corporum partes, atque per omnium viſcerum meatus penetraſſe nemo non perſentiat, teſtaturque *Job. Crato* in ἐυπορίςοις, inter ſigna vulnerum externorum lethalia quàm maximè referri, ſi lapides ſeu oculi cancri pulveriſati & per os aſſumti, impoſito vulneribus emplaſtro non adhæreant.

Quin deſperandum nobis eſſe cauſam juſſis dare quærentibus queî virtus purgantis, umbilico exterius puerorum & nauſeabundorum applicati, denſam cutis, pinguedinis, maſculorum, membranarum, inteſtinorum deniqùe ſubſtantiam pervaderet, hae absque oſtenſa ſemita.

§.30. Et ſpiritus medicamentoſi, quid aliud quæsò nos docent? Sic ſpiritus lumbricorum externè vel internè aſſumtus, tantum non momentaneum præſtat arthriticis auxiliũ, tam penetrabili ſubſtantia qui pollet, ut quam celerrimè per cutem & carnem ad articulos dilabatur, doloresqùe ibidem latentes extemplò diminuat, cui viribus haud impar ſpiritus è fuligine prolectus, cujus opem homines in agone conſtituti, tanquam extremum remedium implorant, ob mirabilem penetrandi ſpiritusqùe vitales refocillandi virtutem, inſigne confortativum, dictum cordialium catalogo ob id inſertum.

§. 31. Id quod manifeſtius adhuc, niſi adverſus experimenta pertinax eſſe quis velit, elucet in luis venereæ curatione,

in qua ex inunctione mercurii animadvertimus, ipſam ejus ſubſtantiam in minimas particulas ſubigendo redactam, per corporis totius compagem, ad fauces uſque commeare, ſalivationemque cum dentium vacillatione & gingivarum cruentatione inducere.

§. 32. Et queî fugitivus iſte hoſpes ad intima corporis non deſcenderet, qui ſi cum ſoliditate auri comparatur, non aliter quàm cera ſe habeat. Jam autem ☿ium, ſolis ſolidisſimum corpus diſſolvere quin protinus devorare, amalgamatio ejus luculenter probat.

§. 33. Quod ſi cuilibet artifici in ſua arte credendum, nec omnis fides hiſtorica in dubium vocanda, obſervationibus Fallopianis conſtat, ☿ium non tantum carnis, membranarum, humorumque ſubſtantiam, ſed ipſa osſium quoque interiora permeaſſe, qui ipſe in apertis crurium osſibus corruptis in Gummatis, ut vocant, Gallicis, reperit minas argenti vivi purisſimi.

§. 34. Noſocomium eſt (referente *Eraſmo Bartholino*) in celebri Medicæorum metropoli Florentia, ubi ſolis inunctionibus curantur infecti lue Venereâ, quorum defunctorum cadavera idem unus tumulus excipit. Hinc per intervallum aliquod temporis, collectam ex demortuorum osſibus non exiguam hauriunt arganti vivi copiam.

§. 35. Præterea in cerebro quoque cujuſdam per hydrargyrum curati, ſed illuc abeuntis, quo priores, inventum fuiſſe Mercurium ex obſervatione certa amici refert *Johannes Schenckius*.

§. 36. Exemplum eâdem de re notatu dignisſimum huc ſpectat, quod adfert citatus *Fernelius* de coriario quodam, cui ex curatione per argentum vivum, non tantum ſincipitis oſſa ita computruerunt, ut fruſtulatim exciderent, ſed etiam cerebri utraque meninx eâdem putredine abſumta, ſubjectaque cerebri ſubſtantia in abſceſſum converſa ſit.

§. 37. Nec eſt, ut corrumpendi abſumendique virtutem quis illis, quibus permiſcetur, adſcribat, cum per ſe ſatis tenuis ſi ſubſtantia pervadendi ſolidiſſimos & duriſſimos corporum receſſus

ceſſus, adeò ut qui ejus miniſterio ad artes ſuas ut fabri aurarii utuntur, tremores manuum & capitis plerumque incurabiles incurrant.

§. 38. Si igitur mercurius ſua partium tenuitate ſolidiſſimas partes ſubit, qui tamen corpus ſolidum & compactum eſſe videtur, cur longè ſubtilioribus per hoſce porulos tranſitum denegabimus?

§. 39. Quomodo, ut ulterius ad experientiam provocem, ſpiritus fulminum ſubtilisſimi corpus, niſi per hos meatus penetrare, atque (ut hiſtoriæ teſtantur) ſalva carne, oſſa in animalibus comminuere, & in pulverem redigere poſſent?

§. 40. Atque exinde orta opinio eſt, omnia ſolida & denſa magis, quam poroſa lædere fulmen. Cauſam hujus rei reddit *Philoſophus l.3. meteor c.*1. quia ea, quæ poroſiora ſunt ipſique facilè tranſitum præbent, citius penetrant, quam ut lædere & adurere ea poſſit. In iis verò quæ denſiora ſunt, moratur nonnihil, dum quærit tranſitum, qui ipſi non ita facile patet, & ita magis lædit.

§. 42. De *Martia* Principe Romana refert *Plinius l.2. Hiſt. Nat.c.51.* quod fulmine icta gravida, partu exanimato, ipſa citra ullum aliud incommodum reliquam vitam tranſegerit.

§. 43. Nec opus eſt, ut exempla hæc è longinquo petamus, ſed domi nata diſpiciamus. Nam quod mulierculas Zibethi odoratu vel maſtiches ſuffitu hyſtericis cruciatibus divexari, atque derepente attonitas quaſi concidere ſine ſenſu & motu, ſine pulſu & pauco reſpirationis uſu, vel etiam ad odorem elychnii extincti ſtatim abortũ facere videamus; pharmacorum horũ particulis, ad olfactum delatis, debetur, quicquid etiam hic ogganniat *Helmontius*, regimenque occultum quoddam accuſet. Fabulæ enim nihil adeo ſimile eſt, quam materiale quod eſt, atque corporeum, immaterialiter & ſine corpore vires ſuas in aliud transfundere.

§. 44. Nec dubium eſt, aſcenſum uteri omnemque ejus commotionem, tùm quoad totum, tùm partes, vellicatione à vaporoſa acredine ſibi peculiariter inimica introduci via non

modo

modo ſenſibili per vaſa, ſed etiam inſenſibili, aut per poros recluſa, quo de *Thom. Bartholin. Anatom. reform. lib. 1. cap. 28.*

§. 45. Ut autem res moleſtæ, quales vel fœtidæ vel alio tetro odore imbutæ, hominem in maximum ſanitatis diſcrimen interdum conjicere poſſunt: ſic quoque ſuaviſſimo quæ odore pollent, omnes ſpiritus reficiunt, & tripudiantes quaſi reddunt.

§. 46. Balſama inunctoria in cordis & cerebri affectibus quam celerem navant laborantibus operam; & quid illorum particulis tam celerem & momentaneum ad partes interdum diſſitas tranſitum concedet, niſi pori. Atque per hos fit, ut omnium partium in corpore noſtro unus ſit conſenſus, conſpiratio una, mutuaque tum voluptas tum dolor.

§. 47. Sed omnem jam opinor, operam ludi illis, qui in hiſce omnibus prolatis non acquieſcent, ſed alia inſatiabiles experimenta urgebunt.

Palmarium forſitan eſt, quod adverſarii putant, quôque theſium noſtrarum vim infringi & obtundi poſſe ſperant, nempe cum vita noſtra conſiſtat in calido nativo, ſpiritibusque tum animalibus tum vitalibus regatur, illos in corpore undiquaque pervio contineri non poſſe, ſed quàm ocyſſimè cum calido per poros dilapſuros, & mortem ſubſecuturam eſſe; inſuper etiam hoc modo corpus pervium quaſi injuriis externis exponi & ita mutationibus earum cotidie ſubjici.

§. 48. Verùm neque hęc ratio eam mihi necesſitatem imponit, ut παλινῳδίαν canam. Libenter enim concedo, corpus noſtrum quotidie magnam tùm ſpiriruum animalium, tum vitalium, jacturam incurrere, cæterum tamen facile eam quoque eſſe reparabilem. 2. cuivis parti ineſſe vim magneticam & attractricem, quæ ſpiritus fixos reddit, ne evolare poſſint. 3. non parum conferre perpetuum ſpirituum fluxum & motum, ne penetrent, quam ſi ſubſiſtant, 4. naturam noſtram calido ſuo & ſpiritibus tanquam ſatellitibus ſtipatam vim externam interdum propellere, interdum ab illis victam ſuccumbere. 5. non unam corporum & conſequenter pororum eſſe diſpoſitionem,

 ſicque

ſicque pro raritate & denſitate corporum, magis vel minus calidi ſpiritusque cotidie exſpirari.

Auctoritem medicorum qui deſiderat, ei inſtar omnium ſit illud magni *Hippocratis*, qua affirmat *6. Epid. ſect. 6.* carnes attractrices ex ventre & extrinſecè ſenſus ipſos indicio eſſe, totum corpus ἔκπνοον καὶ εἴσπνοον eſſe. *Auctor. l. de aliment.* ait. ξύῤῥοια μία ξύμπνοια μία καὶ ξυμπάθεα πάντα, quam ſententiam *Galenus* explicat *l. 1. de uſ. pulſ.* nec non *lib. de uſ. reſpirat. l. 1. meth. med. l. 1. & 3. de nat. fac. l. de rigore. lib. 2. de different. febr. &c.*

§. 49. Hinc modò laudatus *Senex* certo quodam experimento probaturus, poſſitne mulier uterum gerere, veſtibus eam probè muniri, per inferiora autem ſuffitum apponere jubet, infallibili inde argumento concludens, ſi odor ex infernis per corporis ſubſtantiam ad os usque pervenerit, eam ſua carere culpa & aptam natam eſſe concipere *v. aph. 69.*

§. 50. Noverat ſiquidem uteri conſtitutionem ſanam & integram hanc eſſe, quæ non minus atque reliquæ partes, poroſa, coecisque illis dictis meatibus referta eſſet. Quo nomine durum & denſum uterum emeritæ fœcunditatis ſignum veluti ab omni ſpe conceptionis dejicit, hocque fundamento doctarum pronubarum artem, cujus *Plato in Theæteto* meminit, inniti, *Galenus* auctor eſt. Immô, queî in tantã ſæpe molem & craſſitiem extenderetur uterus in gravidis ſi poris pertuſus non eſſet.

§. 51. Majoris certitudinis cauſa quæ de toto diximus, nunc partium *ſimiliarium*, ex quibus utpote diſſimilares conſtruuntur, hiſtoria aperiet.

§. 52. *Cuticulam*, extremum corporis integumentum, poroſam eſſe, indicant pili per eam protuberantes, & in ea effloreſcentes, maximè circa alas, pubem, præcordia, caput, genas in mento viri: item inſenſibilis tranſpiratio, cui aliâs via præcluderetur. Non valde autem poroſa eſt, ne nimius fieret effluxus vaporis, ſanguinis, ſpirituum, caloris &c. cute tamen denſior atq; compactior, cæterum cutis poris ita tenaciter adnata, ut citra ejus offenſionem triſtemque ſenſum ab illa ſeparari nequeat.

§. 53. *Cu-*

§. 53. *Cutis* quæ proxime huic ſubſtrata commune corporis emunctorium dicta, præprimis viis hiſce gaudet.

Cum enim per hanc, quia foris ſita, tanquam per januam neceſſariorum fiat introitus exitusque, natura haud inconſultè ei de meatibus proſpexit, per quos decurrerent, ſuumque iter conficerent. Hinc plurima nanciſci foramina ὁμίως τοῖς κοσκίνοις, ritu cribrorum dicitur, locoque feneſtrarum adhibita à quodam Perſarum rege, ſi fides habenda *Oribaſio*.

§. 54. Hæc denſior & rarior pro ratione temperamenti, loci, temporis, ætatis & ſexus.

Et veriſimile eſt cutem viventis multo rariorem eſſe, quam cadaveris, niſi ab arte denuò rara ſimulque diaphana reddatur. Quin ſi in denſato & rigido corio æque obſervabiles pori ſunt innumeri, quot exiſtimandum in raro dein, cùm vivum adhuc animal eſt, licet varias ob cauſas oculorum aciei omnes ſe non ſiſtant?

§. 55. *Membranis* poros tribui poſſe, earum perſpicuitas & raritas docet, aranearum telis in textura, cum raræ ſimul ſint & viſcidæ à *Galeno* comparatæ, *l.5. de uſ.part.11.*

§. 56. Teſtatur id ipſum ſpirituum animalium in has influxus, Si enim ſpiritus animales in membranas quam latiſſimè diffundi, totique adeò membranæ ad ſenſum communicari debent, per quas vias quæſo commodius illis communicabuntur, quam per poros, cùm meatus conſpicui plane deſint?

§. 57. Undè abſque porulis hæ ſi eſſent, neque dilatari neque conſtringi poſſent. Ob horum enim laxitatem & conſtrictionem, ventriculum, veſicam, uterum &c. in ter quaterve majorem capacitatem diſtendi poſſe, nec tamen ruptionem pati, quin & arctiſſime cogi, ſatis in aprico eſt.

§. 58. Bibula corpora ſunt, madore ob poros quibus ſunt refertæ, nunquam deſtitutæ, queis etiam concidentibus & attenuantibus vitro fragiliora, inque pulverem tenuiſſimum convertibilia, ſecundinarum rarefactarum ut & pellicularum interiorum galli gallinacei exemplo. In quantam autem aſſurgunt

gant molem humidum abſorbentes, pleuriticorum & hydropicorum diſecta corpora evidenter oſtendunt.

§. 59. Sanè membranas meatibus perforatas eſſe, omnes illi concedent, qui cutem membranam eſſe ſtatuunt, idque tum ratione materiæ, tum actionis quibuſcum reliquis earum ſpeciebus convenit, & peripheriam totius ambit, vaſa admittit, quibus mediantibus conſervatur & ſentit, extenditur & coarctatur ac tandem cujuſvis partis excrementa ſuſcipit. Quod ſi itaque cutis ut membrana denſitate nulli ferè membranarum cedens meatibus innumeris referta eſt, quid ni ſubtilioribus rarioribusque multo plures ineſſe adſerere licebit?

§. 60. Quæ cauſa proculdubio cur ſpiritus vini, vel alii tenuiſſimis membranis liquores alliniti confeſtim abſorbeantur, indeque evidens ſubſequatur alteratio.

§, 61. Quapropter non obſtat inferre: membranæ ſunt denſiſſimæ, & ad partium ſubjectarum calidum & humidum coërcendum datæ E. nulla poroſitas illis tribuenda eſt. Nam & denſo & raro pori inſunt, cum ipſo aſſertore *Ariſtotele 4. meteor.* corpus nullum continuum ſed contiguum ſit, ſicque Chimicorum demonſtrationibus adhærendum, neque humores neque quod ſpiritus vocamus, talibus deſtituantur.

§. 62. De *carnium* poris res tanto minoris dubitationis exiſtit, quanto ſubſtantia harum manifeſtè laxior eſt & mollis. Videtur enim caro ad ſpongioſorum accedere naturam, cum multum humoris ſuccique nutritii, ſpongiæ inſtar imbibant, totiusque corporis augmentum, carnium moles ſuppleat, harumq; nutritio augeatur, prout illarum inanitates ſeu pori ſeſe habent.

§. 63. Quærentibus ergò, quid foramina ſint vel carnium cavitates ex *Gal. 6. Epid. com. 2.* reſpondendum τὰ ἀραιώματα, laxitates earundem, in qua, velut in ſpongias, corpus rarum, molle, tenue, imbecille, ſanguis veluti in ciſternulas abſumitur, illicoq; temporis mora *1, de Sem. XIII.* in multas partes diſſolvitur, transmutatur, unitur & aſſimilatur. Quas ideò doctiſſimus *Foeſius* inanitates vocat has; meat⁹ cæcos *Lindanus*, in

quos

quos naturaliter effuſus ſanguis putredini obnoxius non eſt, ſulcos *Zvvingerus*, Græci autem *πόρους*.

§. 64. Hos in carne eſſe indicat ſanguis, qui à nutritione partium refluus, per ejus poroſitates ad venas tranſſudat & ad cor vertitur, ut denuò ibidem perficiatur, quos ex recentioribus idcircò *Pecquetus συναστομώσεις, elutriationes* nuncupat.

§. 65. Non obſtant vaſorum oſcillationes ſeu anaſtomoſes, quas dari pro tranſumendo ſanguine ex arteriis non inficias imus, verum illo ſaltem craſſiore & in motu concitatiore comprehenſo. Ad ſubtiliorem enim vehendum, transcolandum & cum curſu lento progreditur ſufficere poroſitates carnium rectè reſpondet *Thom. Barth. anat. l. c. 1.* Sententiæ ſubſcribit *Walæus in epiſt. 1. ad Barth. de motu chyli*, cum ait: *ſecundo videtur & ſanguis ex arteriis per ipſam carnem ad venas redire poſſe, videmus enim ſecta vena, usq; dum mutetur color inflammationes detumeſcere, quod extra vaſatus ſanguis è carne trahatur.* Docent hoc præstereà & confirmant ſugillata quæ ſunt, cum è livido ad priſtinum colorem revertuntur.

§. 66. Nec minor eſt certitudo *de glandularum* poris, quarum utpote ſubſtantia à carne non diſcrepat, cœterum uſus ſatis diverſus. Nam ut hæ bibula ſua ſubſtantia ſpongiæ inſtar nutrimentum excipiunt: ſic illæ quoque corporis excrementa per poros imbibunt. Ad cujus ſententiæ robur haud leve momentum conferunt glandularum ſitus ad loca emunctoria, ſub lingua, faucibus, axillis, pone aures, ad mammas, in inguinibus, aliàsq; penè partes innumeras, quem uſum ideo reſpiciens *Hipp. l. de glandulis* carnes glandularum ἀποστερίζειν τὴν πλεονεξίαν τοῦ ἄλλου σώματος rectè ſcripſit.

§. 67. *Venæ* quia ſanguinem cum ſero non ad partes nutriendas, ut veteres voluêre, ſed ab earundem nutritione refluum, nec ita impetuoſum, ut arteriæ, ſed calore & ſpiritibus vitalibus nonnihil orbatum ſecum vehant; ſimplici, tenui & rarâ, cæterum quæ ſanguinis transfluxum facilè impediret, tunica ſunt contentæ.

§. 68. Hinc fit, ut frequentius quam arteriæ rumpantur,

tur, aperiantur, & ſanguinem imprimis lympha dilutum transſudare permittant.

§. 69. Harum lentor intrinſecè earum ſuperficiei adhærens, inconſpicuos eos facit, quo deraſo tamen & abſumto foraminulentæ penitus deprehenduntur, adeò, ut non malè crediderit διαπήδησιν affectum, ſudoremque ſanguineum inde oriri *Excellent. Dn. Præſes, Scholæ partiũm p.25.*

§. 70. Et vere earundem nutritionem per ſanguinearum particularum in hæc foraminula appoſitionem fieri, judicat *Fernelius.*

§. 71. Quod ſi contigerit habitum earundem ultra ſolitum rarefieri, ſanguini ſeroſo easdem vias aptiſſimè pandunt.

§. 72. *Arteriarum* poros quod attinet, res nonnullis difficultatibus expoſita eſſe videtur, cùm hæ non ſolum ſanguinem ſpitituoſum ſed etiam à cordis foco ferventem & ferocientem ſecum vehant, ut ita quod hic ſanguis ſua ſubtilitate, quâ ad aërem ferè accedit, non faceret, attamen vi & impetu ſuo viam per hos meatus moliretur.

§. 73. Verùm neque hæc ratio pororum in arteriis præſentiam tollit, cum ſpiritus vitalis non ſolo aëre, qui omne corpus facilè tranat, conſtet, ſed ſit ſanguis aëreo corpore imprægnatus.

Et hic locum habere videtur illud *Sancti Sanctorii* contra quendam ſtaticomaſticem, *ſect.8. aphor. 15. de Med. ſtat.* cùm ait:
,,Trico mentitur in omnes auctores, dicens ſpiritus eſſe aëre te-
,,nuiores. Nonne ex aëre & ſanguine fiunt? nonne aër omne tra-
,,nat corpus, ſpiritus vero vaſis incluſi manent.

Nec *Eraſiſtrati* opinio hîc ullum aſſenſum meretur, qui in arteriis nil niſi aërem & ſpiritum contineri dixit. Ubi enim res ipſa loquitur, quid multò opus eſt teſtimonio.

§. 74. Quo minus autem hi ſpiritus fugam adornare & evaneſcere poſſent, ſimulque robur adeſſet in motu perpetuo, arteriæ tunicam denſam, duram & valde craſſam venarum tunicâ ſecundum *Galenum* quintuplo, ſecundum *Herophilum* ſextuplo craſſiorem fuêre ſortitæ.

Cæ-

Cæterùm ut in aliis rebus, ſic etiam in arteriis uſus pororum horum neceſſariam præſentiam monſtrat, qui duplex eſt, ut 1. aëri aditus pateret ad ventilandum ſanguinis arterioſi æſtum. 2. fuligines per hos excernerentur. Unde *Galenus l. 6. de uſu part. 10.* ſcribit: arteriæ ſanguinem tenuiſſimum & vaporoſum elabi ſinunt, per quem χείεγνα intelligit. Quod ſi univerſi generis venoſi habitus nil niſi membranoſus exiſtit, unica conformatione quoad meatus & cavitates, à membranis differens an poris carere queat arteriarum iſte habitus, haud quisquam aliter quàm adfirmare poterit.

§. 75. In *nervis* pro vehendis animalibus ſpiritibus poros adeſſe, pauci inventi ſunt, qui negarunt. Quod etiam affirmat *Thom. Bartholinus*, cum *l. c. 3. c. 1.* omnes nervos præter opticum manifeſta carere cavitate aſſerit, habere autem poros profitetur, per quos ſubtiles ſpiritus permeent, ne detur impoſſibilis corporum penetratio. *Cornel. Hogelandus* duplices hos facit, majores & minores, per hos tranſire ſubtiliora corpora aërea; per illos autem minus ſubtilia: quamvis neutrum ſenſus diſcernat, nec duplices in cerebro ſpiritus dentur. Non auferunt interſtitia illa *Bartholiniana* pororum præſentiam, filoſæ enim nervorum productiones omnes quomodo melius cohærerent?

§. 76. Jam rerum ſeries ad *partes oſſeas* & omnium ſolidiſſimas me ducit, quibus reliqua corporis noſtri machina, tanquam firmo fundamento ſuperſtruitur. In his autem quo major, quam in cæteris partibus ſoliditas ſpectatur, eo minor de poris ſuſpicio & fides.

§. 77. Verùm quod ratio non aſſequitur, illud αὐτοψία adcuratior facillime approbat.

§. 78. Cavernulas enim oſſium continuitati interjectas eſſe, tam certum eſt, quam certum illa nutrimentum & augmentum capere. Unde *Jaſolino* in hoc omnino ſubſcribimus, ſtatuenti oſſium nutritionem fieri in eorundem porulis, in quos arteriæ deſinunt ſanguinem invehentes, & venæ reliquum evehentes, non obſtante quod arteriarum in oſſa inſitionem negaverit *Platerus*,

Adrianus Spigelius Patavii obſervavit in grandi tibiæ oſſis carie ſubſtantiam ejus ab arteriola pertuſam fuiſſe. Quod forſan &viderat jam ante *Ariſtoteles*, quando in ſolidum arterias deſinere dixit, cujus ſententiæ album ob id quoque calculum adjecit *Thomas Bartholinus*.

§. 79. Hinc etiam oſſium ſolidorum proxima materia nutriens ſtatuitur ſanguis craſſus per poros intromiſſus, quod duplici ratione probatur: quia 1. fracta uniuntur callo ex reliquiis alimentarii ſanguinis generato. 2. ſua in ſubſtantia abſceſſum pati poſſunt à ſuperfluitatibus alimenti in poris putreſcentibus.

§. 80. Jam quis dubitat aſſerto *Eraſmi Bartholini* fidem addere, dicentis: Mercurium ſua partium tenuitate, interiora oſ-
" ſium (ut quibus juratus hoſtis) perluſtraſſe, inque horum ſub-
" ſtantia repertum fuiſſe, cum tamen ille duriſſima metalla ſub-
" eat, in quibus nulla tam laxa partium combinatio, quam in oſſi-
" bus concipi poteſt. Cujus rei fidem etiam illa augent, quæ de fulmine ſupra diximus, quod oſſium ſubſtantiam, illæſis aliis partibus, non tantum penitraſſe, ſed eadem etiam in pulverem redegiſſe deprehenſum fuerit.

§. 81. Teſtantur pororum præſentiam in ipſis tum recentibus tum exſiccatis & perquam vetuſtis oſsibus infinita punctulorum congeries, quæ fractæ in recentibus ſucco medullari turgent, in exſiccatis autem diſtinctos rivulos & ſulcos manifeſtant, adeò ut mirari facilè quis deſinet, quêi à mercurii magnete allinito corrumpi, aq; fulminis ſulphureo nitroſis atomis reſolvi tàm citò valuerint.

§. 82. Nec opus ſemper lynceos adhibere oculos ad diagnoſin faciendam; ſufficit ſuperficiaria quandoque oſsium inſpectio, ut vertebrarum, coſtarum, calvariæ &c.

§. 83. *Cauſa efficiens* pororum eſt vel *mediata* vel *immediata*.

§. 84. *Immediatam* facultatem eſſe diximus πλαςικὴν, ut ſunt carnifica, oſsifica, membranifica &c. hæ enim pro cujusvis partis natura, quam conſtituunt, earundẽ particulas variè diſponunt. Sic carnifica carnem multis poroſitatibus perviam fecit: oſ-

ſifica

ſifica verò particulas oſſeas multò arctius invicem committit & conglutinat. Eſtque hæc opinio ſatis antiqua, à *Galeno* propoſita, *in lib. de facultatib. naturalib.* atque *commentario* illuſtrata à *Paulo Jouberto*, Medico Gallo celeberrimo.

§. 85. *Mediata* eſt anima, quæ facultate hacce in partium productione utitur. Illa etenim cum eorum quæ ad tuendam ſuam cum corpore unionem ſpectant, nihil omittat, ſibi etiam de poris ſimul proſpexit.

§. 86. Et hæc ea eſt, quam *Hippocrates l. de alim. cord. artic. in Epid.* paſsim ſagaciſsimam, juſtiſsimam, artificioſiſsimam, providiſsimam & prudentiſsimam appellat: quam *Ariſtoteles* prudenti patrifamilias omnia rectè diſpenſanti comparat, quæ nihil in rei productione ſuperfluum faciat, nec neceſſarium omittat, nihil transmutet, neque prius neq; poſterius, quam uſus poſtulat, aliquid producat, nihil fruſtra faciat, ita ut nullum ſit in corpore membrum, quod non ſuam actionem, neque actio, quæ non ſuum inſtrumentum habeat: in qua *Galenus lib. 16. de uſu part. c. 1.* juſtitiam diſtributivam maximè vigere docuit; & *Scaliger* præparationis auctorem appellat, quæ ſibi & alteret totum, & partes diſponat; *Sennertus* denique ſapientem ſui proprii templi architectam nominavit.

§. 87. Hæc, inquam, illa pororum etiam cauſa eſt, utpote quæ omnes partes corporis hiſce tanquam neceſſariis meatibus, cum ſine his neque agere neque benè agere potuiſſet, de ſalute veluti ſua valdoperè ſollicita abundanter inſtruxit.

§. 88. *Αἴαν ἐν ὀργανικῶς* ut cum *Ariſtotele* loquar *l. 2. de ort. & inter. c. 9. t. 53.* rerum denſitatem & poroſitatem quidam calori & frigori tribuunt, cum illa apta particularum collocatio, certis interjectis intervallis, majoris molis ſit, quam ut ſolis elementaribus qualitatibus deferri poſſit, hiſce verò rei natura tanquam inſtrumentis utatur, quæ idcircò ſine ſuperiore dirigente ad rerum productionem concurrere neutiquam valeant.

§. 89. Unde *Jul. Cæſ. Scaliger Exerc. 307. ſect. 20.* rectè docet, quatuor illa elementa, niſi rectorem habeant, temere, & ſine »

" modo metaque ulla & jactabunt & jactabuntur. Quid enim il-
" lud eſt, quod tantum terræ tantum commiſcet cæterorum? at
" oportet in unoquoque motu eſſe unum & primum. Non autem
" illa ſeſe movere ullum ad opus queunt, ſed in compoſitis à for-
" ma excellentiore, in miſtis imperfectis ab externo principio
" cientur ad mutuam connexionem. Neque eſt ut idem *l.2. de*
" *Plantis* ſcribit, ut quis ad ignem confugiat. Si enim ignis tria
" elementa tanquam partes unit, quid erit quod uniat ipſum
" tribus?

§ 90. Non igitur caliditatem poroſitatis principem auctorem aſſerendam eſſe ſtatuo. Dantur enim denſa valde calida, ut Gummi Thapſiæ, & Euphorbii, & frigida poroſa, ut rubra ſantala Cicuta frigidiſſima & tamen rariſſima. In genere fructuum mala frigida, & poroſa nonnulla; cucurbita admodum frigida, admodum poroſa, & tophus lapis poroſus *Plinio* frigidus.

§. 91. Interim non nego, calorem corpora egregiè ad poroſitatem diſponere, ita ut cauſæ inſtrumentalis nomen optimè demereatur, quandoquidem ſine concurſu calidi, ut nulla mixtio, ita neque rarefactio aut denſatio exiſtit, ut proinde δυμιουργὸν calorem corporis juſtè appellaveris.

§ 92. Quare effector pororum inſtrumentalis ex doctrina *Galeni 5. aph. 69.* calor acris eſt judicatus. Et hinc biliosi poroſi, rari. Qui autem cute alba præditi ſunt, ut phlegmatici obturatos habere poros apud eundem extat *1. Epid. com. 2.*

Sententiæ huic acclamat *Baconus de Verulamio ſylv.*
" *ſylvar. p. m. 51.* cum ait, omnia denſa corpora aliis pleriſque
" frigidiora ſunt, ut metalla, lapides, vitra, diutiusque calent,
" quæ molliora. *Magirus l.3. c.7. Phyſiol.* caliditatem, ut plurimum, quamvis non ſemper, raritatis auctorem eſſe, & *Scaliger exerc. 4.* denſationem & rarefactionem eſſe in genere motus ſecundum locum aſſerunt. Fieri enim ex partium diſpoſitione ſequique vel caloris vel frigoris vim.

§. 93. Huic cauſæ ſiccitatem quoque aſſociat citatus *Sca-*
" *liger exerc. 203.* In difformium verò partibus, *inquit ille,* mutua
" cohærentia fit per humidum, quod in quibusdam eſt expreſſius

& no-

& notius, ut in lacrumis arborum: in aliis occultius ut in gum- "
mi concretis, in nonnullis occultisſimum ut in metallis. In "
his omnibus denſitatis auctor humiditas eſt. Itaque in lapide "
ubi humor ille exhauſtus aut exuſtus fuerit hiant partes, & fit "
poroſum corpus, ut pumex. "

§. 94. *Siccitatem* itaque ad poroſitatem quoque corporibus inducendam plurimum facere inde colligimus: quatenus nimirum ea partes humido ſuo, quo illæ ceu glutine conjunguntur privat atque ſpoliat.

Quæſitus tamen an ſiccitas hæc ſit comes caloris tantùm & non ſimul frigoris? ei reſpondeo, utriusque. Ipſum enim frigus concurrere huc quoq; auctor eſt *Hippocrat. lib. de principibus.*

§. 95. *Finis* pororum eſt vel *intermedius* vel *ſummus.*

§. 96. *Intermedius* eſt, qui propter alium & ſummum intenditur, ut nutritio propter ſanitatem, eſtque valdè conſpicuus tùm in *ſtatu naturali* tùm *præternaturali.*

§. 79. *In ſtatu naturali duplex* potiſſimum eſt, *adæquatus* & *inadæquatus.*

§. 98. *Adæquatum* eſſe diximus in definitione alimenti diſtributionem, excrementorum verò tertiæ coctionis excretionem, de quibus ſingulis ordine jam agendum.

§. 99. *Alimenti diſtributio* ad nutritionem & augmentationem neceſſaria eſt.

§. 100. *Nutritionem* itaque qnod concernit, ſciendum, omnia, quæ vivunt, neceſſario nutriri. Quia enim calor eorundem nativus multum quotidie ſubſtantiæ depaſcit, vel ut *Deuſingius* loquitur, multum flammulæ vitali in pabulum cedit, multum etiam per *ἄδηλον διαπνοὴν* quotidiè diſſipatur, id omne nutritione reparandum eſt.

§. 101. Unde tam diu nutrimur, quam diu vivimus. Qvod *Philoſophus l. de ort. & inter. 1. t. 41.* innuit, quando inquit: *διὸ τρέφεται μὲν ζῶον, ἕως ἂν σώζεται καὶ φθίνη, αὔξεται δὲ οὐκ ἀεί.*

§. 102. An autem neceſſarium nutritionis requiſitum ſit, ut per poros fiat, disquirere ab inſtituto meo alienum non erit.

 §. 103. Il-

§. 103. Illud autem venari me poſſe ſpero ex *Ariſtotele l. 1. de ort. & inter.* ubi inter alias etiam hæc conditio proponitur, ut non ſolum toti, ſed etiam ſingulis particulis facta ſit acceſſio magnitudinis. Et *l. c. t. 32.* Φαίνεται δὴ οὖν τοῦ αὐξανομένου ὁτιοῦν μέρος ηὐξῆσθαι.

§. 104. Si enim omnes particulas nutriri & augeri neceſſum eſt, per quas vias nutrimentum ad ſingulas perveniet niſi per poros?

§. 105. At prius confirmatur etiam auctoritate *Galeni l. 12. de uſu part. 1.* ubi more ſuo pinguendinem tanquam partem non agnoſcit, quia non verè nutriatur, ut cæteræ partes, ſed olei inſtar membranulis affundatur, harumque frigiditate concreſcat.

Cardanus quoque in nutritione oſſis duo miratur 1. quod res adeo mollis penetret rem adeo duram. 2. quod tempore incrementi ſic oportet, ut extendatur ſecundum ſingulas partes. Ex quibus colligere poſſumus, non quamcunq; ad extremam ſuperficies appoſitionem hic intelligi, verum talem, quæ fiat alimenti ad ſingulas particulas appoſitione, earumq; nutritione.

§. 106. Nec aliud nos docent arteriæ & venæ, quas nutrimentum pro partibus vehentes & revehentes, non tantum extremæ partium ſuperficiei poſitum inſeri, ſed in ipſam partis quoque ſubſtantiam abire, ibidemq; occultè (ut ita loquar) anaſtomoſari pro comperto eſt.

§ 107. Id quod *Jaſolino* quoque placuit, qui nutritionem per poros fieri ſtatuit, in quos arteriæ deſinunt invehentes & venæ evehentes. Sunt enim poroſitates arteriarum *terminus* ultimus *ad quem*: venarum verò *à quo* ſanguis venit, & in quas aſſumitur adque cor amandatur.

§. 108. Similiter ipſe *Galenus* venarum & arteriarum anaſtomoſes mutuas paſſim agnoſcit. In toto corpore mutua " eſt anaſtomoſis inquit *l. 6. de uſu part. c. 10.* atque oſcillorum a- " pertio arteriis ſimul & venis, tranſumuntque ex ſeſe pariter ſan- " guinem & ſpiritum per inviſibiles quaſdam atque anguſtas pla-

nè

ne vias. Quod etiam multis aliis in locis inſinuat, cujus ſententiæ etiamnum favent *Riolanus, Spigelius, Bartholinus & alii.*

§. 109. Illa igitur horum vaſorum per interiorem partis ſubſtantiam divaricatio probat ſuccum nutritium non tantum extremis partis ſuperficiebus affundi, ſed interiora quoqve pervadere, & ita ſingulis particulis per poros conjungi & agglutinari.

§. 114. De unguium & capillorum nutritione forte dubium eſſe poſſet illis, qui cum *Galeno, Fernelio*, è partium viventium numero eos eximunt, cumq; *Spigelio* non niſi in longitudinem augeri cenſent. Verùm cum neque his ſui deſint pori, non minus etiam creſcant & augeantur, animi pendeo, num appoſitione hos augeri ſtatuere debeam, cum & ipſam naturam fabricatricem in utero præſentem habeant, eodem cum reliquis alimento gaudere compluribus demonſtrent.

§. 111. Ut autem jam nutrimentum quoquoverſum per poros diffundi conſtat: ſic quomodo id fiat ſolidè docet *Deuſing. th. 59. de ſang. uſu.* Sanguis, *inquit*, ad quascunque corporis „
partes delatus, vi ſpirituoſæ ſuæ ſubſtantiæ, motusque ac colo- „
ris in minutisſimos earundem porulos ſe inſinuat, ac roris in „
modum quoquoverſum diffunditur, ſicque ſanguineum rorem „
imbibunt particulæ corporis quævis, quæ vel molles immedia- „
tè arteriolas ſuſcipiunt, non minus, quam lignum aquam „
imbibit, ac pluviâ extrinſecus incidente per totum madeſcit. „
Atque id ipſum eſt, quod dicit *Hipp. l. de alim.* Vim alimenti „
ad oſſa usque pervenire, & oſſium partes. „

§ 112. Nec obſtat, quod ex *Dominico Sala de alim. cap. 28.* allegat *Entius*, ſanguinem non penetrare (viſibili ſpecie ſeu ſubſtantia illa, vel conſiſtentia ac calore, quo per vaſa diſtribuitur) in intima omnium partium, quia hoc ſenſus non concedit, præcipuè in oſſibus, ligamentis, cartilaginibus, in aliquibus membranis, quæ in adultis nullis venis præditæ ſunt, nec veſtigium ullum ſanguinis habent, cum potius ſanguis in ſpirituoſum vaporem diſſolutus in intima omnium partium ſe inſinuet,

nuet, adeo ut oſſilagine Dea opus non ſit, quæ ſanguinem inviſibili modo per poros transvehat.

§. 113. Nec mirandum tantoperè ſi alimentum, (ſanguis arterioſus) per minutiſſimos porulos diffundi debet, illud ſpiritus in morem oculorum aciem ſubterfugere. Utique enim talis in alimento præparatio prævia requiritur, addocente iterum hoc *Deuſingio th.117. de uſu ſanguin.* ut ſummè tenue & diffuſivum reddatur id, quod nutrire partes debet, quo nempe in intimos partium porulos ſe inſinuare queat.

§. 14. Quo etiam reſpexiſſe videtur *Cardanus libr. de miſtis.p.m.154.* cum, inquit; ſed neque hoc modo propriè, verùm
" ut dixi, augmenti & nutritionis fermè eadem eſt ratio, imò &
" generationis, hæc enim fiunt ab anima: ſolius autem animæ o-
" pus eſt, eo modo poſſe attenuare tum unire ac tranſmutare.

§. 115. Nec audiendus eſt *Jul. Cæſ. Scaliger exercit.101. ſ. 15.* cum perperam adverſus iſtum in hæc verba erumpit: quam verò
" huic loco admiſces (Cardane) attenuationem, lancinare nolo,
" ſed memineris neque ad alimentum admitti à Philoſophis atte-
" nuationem. Tua tamen verba ſunt hæc: ſolius autem animæ
" opus eſt, attenuare, tum unire & tranſmutare, quorum verbo-
" rum ordinem qui ſequatur in maximam incidet dubitationem.
" Neque attenuatio neceſſaria eſt ad accretionem. Notum ſiquidem eſt de alimento in partium ſubſtantiam abeunte, hæc intelligi debere.

§. 116. Humoris hujus attenuati & ex arteriis in partium ſubſtantiam jamjam effuſi veteres, quos inter *Galenus* & *Avicenna*, paſſim ſub nomine roris mentionem fecerunt, atque hoc non præter rationem factitatum eſſe cum *Deuſingio th.92. & 93. diſſ.de uſu ſanguinis* iterum ſtatuo, quatenus nempe ille ulterius, qvam in arteriis calore attenuatus per partium ſubſtantiam quoquoverſum in minutisſimos poros, quo nullæ arteriæ pertingunt, ſeſe inſinuat, atque roris inſtar partes irrorat.

§. 117. Habitâ igitur alimenti diſtributione per poros ſequitur ipſa *partis nutritio*, cujus proceſſum triplici actione perfici veteres voluerunt. 1. προσθέσει, quando humor venarum extremi-

tremitatibus excidens per poros diſtribuitur, & roris nomine dignatur. 2. προσφύσει *agglutinatione*. 3. ὁμοιώσει *aſſimilatione*, quando humor ſimilis efficitur ſubſtantiæ partium, atque in hanc convertitur quî cambium dici ſolet, quia ſuam naturam cum parte cambit mutatque. Hanc dilucidius adhuc expreſſit *Excell. Dn. Joh. Theodor. Schenck. Vir de re medica meritiſſimus lib. de humorib. c. 19.* Utrũ verò, *inquit ille*, quẽ nos asſimilationem nominamus, nutritionis actus fiat alimento ſeu ſanguine δρόσου δίκην partibus roris ad inſtar allabente, mox verò reſoluto & καπ' ἀτμὸν ſub vaporis ſpecie partiũ particularis intimis ſeſe inſinuante à quibus poſteà ſubſtantificè alteretur, demumq; illam ſimilitudinem ſanguis acquirat, quam imperiti quærunt in ipſis venis, ut loquitur *Hoffman. Inſtit. Medic. lib. 2. 123.* ex ſententia pridem à *Galeno* prodita *l. 1. de ſemine. 11. & 2. de facult. natural. 3.* ſi quid dicendum eſt, ſine diſtinctione admitti non poteſt. Niſi enim conceperimus momentum illud alimenti quod excidit ex arteria, inque punctum carnis ſeu porum ejus ſe recipit, comparativè roris & vaporis adinſtar illud apparere proculdubio vanum & ſupervacaneum erit meditari velle, qua de re prolixè etiam agit *Joh. Fernel. lib. 6. c. 5. univerſ. Medicin.* quando ut cæterarum partium ſic venarum & arteriarum quoq; nutritionem fieri perhibet, cum quæ portio tunicis proximè asſiſtit primum commutata albeſcit, moxque tanquam ros in auguſta foramina venæ aut arteriæ rapitur, quibus penitùs appoſita crasſiorque facta annectitur tandemq; asſimilatur.

§. 118. Quæ cum ita ſe habeant, mirum non erit Medicos in impedita nutritione horum meatuum reſerationem præcipere, cum ſalvam horum conſtitutionem bona ſubſequatur nutritio.

§. 119. Quorum, quæ præſtare hoc poſſunt, non poſtrema *exercitium* & *frictiones* audiunt. Hiſce enim ait *Baconus de Verulamio Sylv. Sylvar. exper. 77.* plus ſpirituum & ſanguinis ad partes retrahitur: alimentum in exteriora validius elicitur, pororum relaxatio, faciliorem ſpiritibus, ſanguini & alimento

 viam

viam præbet, inutilis excrementitius humor in carne hærens digeritur & diſſipatur, omnia aſſimilationis adjumenta.

Et hæc cauſa eſt, cur plerumque carnoſi evadant qui exercitiis & frictionibus corpora exercent, uti patet in athletis, remigibus, in equis depectendis.

§. 120. Quo *Leon. Fuchſ. Inſtit. Med. l. 2. ſ. 3. c. 3.* etiam inclinat, præcipiens, ut priusquam ad valentiores motus accedatur, corpus frictione prius calefiat, quo illud molle reddatur, excrementa attenuentur, & exigui meatus laxentur. Idem ſcilicet hoc eſt, quod *Hipp.* κατ' ἰατρεῖον *l. 3. l. 36.* his verbis ſignificare voluit: *dura frictione, corpus ligatur, molli verò ſolvitur.* Ligare enim *Hippocrati*, coactum reddere, quemadmodum ſolvere, molle & poroſum reddere, atque laxare denotat.

§. 121. In quem finem non minor ad conciliandam corpori nutritionem ciborum delectus eſt habendus. Siquidem utendum eſt aperientibus, laxantibus, quique facilis ſunt coctionis: hi enim à fermento ſtomachali levi negotio ita attenuantur, ut in ſanguinem â corde converſi facillimè poros intrare poſſint: *illi* verò meatuum clauſtra relaxando, ſibi ad partes viam parant. Sic decoctum ex oſſibus & nervis contuſis admodum alimentare præbent juſculum & carnem juſculoſam Anglis Scothskinck miri alimenti eſt perhibente *Verulamio.*

Conſimiliter *vitellus* melius *nutrit* quam albumen, lactiq; recens mulcto miram nutriendi vim & ad emaciationes curandas virtutem ineſſe pro explorato habemus. Ratio eſt, quia hæc in gradu ad chylum proxima ſunt, etiam antequam in ventriculum deſcendunt.

Unde, ut iterum egregiè notat *Verulam. exper. 46.* fieri vix poteſt, ut cibus & panis in juſculo tali aut potu ſumptus in venas parteſque extremas (poros intellige) tam tenuiter & facilè abeat, quam hoc modo incorporatus, aut penè in chylum verſus. Eadem forſan eſt ratio, cur *Hipp. aphor. 11. ſect. 1.* ſtatuerit: ῥᾷον πληρῦσθαι ποτοῦ ἢ σιτίου. Quæ enim liquida ſunt, diſtributioni aptiora ſunt, ac per anguſtiora vaſa expeditius fluunt, poroſque ſeu ſpaciola nutriendarum partium citius ſubeunt.

Cæte-

Cæterum *Hipp.* hoc loco per potum, quodcunque potulentum alimentum, ſive ſimpliciter ſive participative tale, per cibum verò quodcunque ſolidius & craſſius intelligit.

§. 122. *Adſtringentia exſiccantia* igitur, & quæ difficilis coctionis niſi ritè corrigantur, in bonum alimentum neutiquam cedunt.

Quanquam enim interdum optimo alimenti ſpiritu (ut oriza) conſtant: quatenus tamen vel ob ſubſtantiæ duritiem à fermento ventriculi non debellari, & deinde diſtribui poſſunt; vel corpus nimium aſtringendo, meatus ſibi ipſis præcludunt virtute hac merito defraudantur.

§. 123. Qui *temperamento ſanguineo* gaudent, vel in gaudia & lætitias effuſi ſunt, corpus obtinent carnoſum & ſucci plenum: *melancholici* verò, & quibus non abſimiles qui arduis ſunt intenti, curis fluctuant, & animi ægritudine tenentur, corpus gracile & macilentum ſortiuntur. Cauſa eſt, quia in illis modicus calor cum humiditate conjunctus corpus laxat, poroſque aperit; unde facilis alimenti diſtributio, quæ in his verò minus accidit.

§. 124. *Cur tempore ſomni melius nutriamur* quam *vigiliarum*, duplex cauſa redditur. Quod 1. calor & ſpiritus alimentum in ſomno minus conſumant. 2. ſomnus alimenti diſtributionem in partes promoveat. Calor enim tunc temporis concentratus, & ad interiora revocatus, tum nutrimentum attenuando diſtributioni aptum reddit, tum partium interiora, ſub quibus alimentum recondi poteſt, pandit.

§. 125. *Tempore hyberno & regione frigida* plerumque corpora melius nutriuntur, quàm æſtate & regione calida. Cauſa eſt, quia pori extus anguſti nimiam διαφόρησιν impediunt, intus verò patuli, nutrimentum facile recipiunt.

Cur autem quorundam animalium, ut urſarum, hirundinum vita absque pabulo extrinſecus aſſumto per totam hyemem foveatur & prorogetur, hoc ex peculiari quadam circulatione fieri autumat *Deuſingius, de nutrit. th. 29.* nempè quando pori cutis anguſti ſint, & aër ambiens obſiſtat fortè διαφορήσει,

 quod

quod diſſolutum eſt caloris efficacia ex parte denuo cum ſuccis alimentum corpori præbentibus miſceatur, ac denuò in poros partium ſe ingerens in corporis ſubſtantiam, convertatur.

§. 126. *Caro*, ex omnibus partibus facillimè nutritur & reſtauratur, quia præ reliquis multis poroſitatibus ſcatet, oſſa autem ægerrimè quia ſolidiſſima. Quod intendiſſe legitur *Galen. cum lib. de arte parva. c. 55. & 11. m.m. 1.* apertè profitetur, ſolidarum partium ſiccitatem, quales exſangueis & fibroſæ, nullo modo humectari poſſe.

§. 127. Omnes etiam *tenellæ partes* facilius nutriuntur, quàm adultæ, quia alimentum ob patentiores vias commodius ab his attrahitur, quam in illis.

§. 128. Sequitur *augmentatio* quæ omnibus animantibus valde neceſſaria eſt.

§. 129. Eſt enim anima, ut *Ariſt. l. de an. 2. c. 1. t. 6.* loquitur, ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ, ζωὴν ἔχοντος δυνάμει. τοιοῦτον δὲ, ὃ ἂν ᾖ ὀργανικόν, ad organorum autem conformationem juſtus & ad actiones edendas conveniens magnitudinis terminus requiritur, quem cum à generationis primordiis non poſſideant animantia, temporis tractu augmentationis beneficio tandem conſequuntur, & per ipſam in molem ampliorem extenduntur.

§. 130. Cæterum *augmentatio* à nutritione non differt niſi quatenus plus materiæ alimentariæ in partium porulos ingeritur, quam abſumtum eſt; in nutritione verò tantundem vel minus. Plus autem & minus non mutant ſpeciem, notante *Deuſing. diſp. de nutr. th. 21.* Si igitur in nutritione pori adeſſe debent, certè multo major eorum copia in augmentatione, ubi copioſior alimenti diſtributio eſt, reqviritur, vel certè tamen & majores & patentiores ut ſint, requiritur.

§. 131. Unde *Iul. Cæſ. Scaliger exerc. 282. ſ. 2.* partes ſolidas tam diu augmentum capeſſere perhibet, qvam diu denſari poſſint: denſari autem, ſi recipere poſſunt partes peregrinas, quæ poſtea fiant propriæ. Nos addimus: recipere poſſunt partes peregrinas, quæ fiunt propriæ, ſi poris & cavitatibus ſunt pertuſæ,

in

in quas conjici poſſunt, & hoc eſt corpus poroſum, humidum, non nimis durum, ſiccum & ſolidum, quod caloris vi diſtendi, & novos poros novo alimento identidem infarciendos ſuſcipit. Si itaque ſubjectum ſolidius & compactius exiſtat, quam ut tanta nutrimenti copia illud ſubire poſsit, quanta ad augmentationem ſufficiens, tunc impediri eam debere *Zabarellæ* ſententia eſt.

§. 132. *Augmentatio* autem fit in hunc modum: pars eo, ut diximus, modo nutrita continua caloris vitalis efficientia, quam diu & in quantum ea ductilis eſt, continuò agitatur, ab invicem diducitur, atque in ampliorem molem diſtenditur, conſtitutis inter particulas identidem novis poris, qui viciſſim identidem alimentario ſucco affluente implentur ac infarciuntur, quo ibidem ulterius cocto, ab excrementis repurgato, particulis appoſito & agglutinato atque transmutato augetur corporea moles. Ac denuo identidem, tum ipſa moles aucta, tum augmentum quod acceſſit, conſimili caloris efficientia, ſimiliter ſecundum nimias particulas diducitur, novaque ſimili ratione, ut ante, fit accretio, & ſic infinitis ferè repetitis vicibus, donec pars in juſtam magnitudinem excreverit, eamque duritiem & ſoliditatem & pertinacem cohæſionem nacta fuerit, ut diduci ab invicem ejus particulæ amplius non poſſint.

§. 133. *Extenſionem* partis haud aliter fieri putamus, quam ſi lignum vel ſpongia madefacta humore, repletis poris ſuis, in majus ſpatium diſtenditur. Premunt enim aquæ moleculæ intus receptæ ſolidi corporis particulas, hæ itidem alias, usque dum ad extremam ſuperficiem eſt perventum. Nec res alio accedente corpore, iis ſed anguſtioribus, quam ejus natura fert, terminis contineri poteſt, quin ulterius ſuos limites proferat. Sic etiam in partium extenſione, dum pars partem trudit, (adjuvante calore, auctore poroſitatis) exterior ſuperficies in omnes dimenſiones ampliatur.

§. 134. *Terminus augmentationis* à plerisque trigeſimus annus ſtatuitur, poſt hunc enim oſſa, ad quorum augmentum cæteræ quoque partes incrementum ſumunt, ita ſolideſcunt, ut

 amplius

amplius diduci nequeant. Pari modo, ut cartilagines tandem in oſſa, (neque enim aliud ſunt oſſa in tenera ætate, niſi cartilagineum quoddam) eo, ut diximus modo, abeunt. Qua tamen ratione, quod jam ſiccum haud parumper evaſit, ad 25. usque ætatis annum augeri poſſit, res explicatu difficilis eſt. Oportet ſane, hoc cum fit, ut quod ſiccum quaſi & induratum, denuò humefiat, extendique queat; vel dicendum, oſſibus duris licet corporibus, nunquam cum vitam vivunt, deeſſe naturale humidum, quod à calore non ſecus atque à mallei percuſſione, & agitatione metallorum quorundam, ut ferri, argenti, auri, in omnes dimenſiones extendi diducique valeat.

§. 135. Notandum tamen cæteras per accidens tantum accretione privari, quatenus oſſa earundem accretionis curſum impediunt, & ſiſtunt. Quanquam enim multis poroſitatibus, in quibus alimentum recondi poſſet, ſcateant, nec eam ſoliditatem ſint adeptæ, ut amplius dilatari queant: attamen cum illæ oſsibus ceu fundamento ſuperſtruantur & connectantur, ceſſante horum accretione, illarum quoque augmentum tollitur. Manifeſtare nobis hoc voluit *Hippocr.* cum *lib.* περὶ ὀςέων: τὰ ὀςέα τῷ σώματι ςάσιν, καὶ ὀρθότητα καὶ εἶδος παρέχοντα profitetur. Quem in finem oſſa omnibus ſubjici mens eſt *Philoſophi 2. de partib. animal. 9.*

§. 136. Sola caro hisce legibus quaſi exemta eſſe videtur, quæ determinatum ita non agnoſcit augmentationis terminum. Videmus enim multos poſt annum 30. jam tum ſublata augmentatione carnoſos factos, multos etiam in ætate ſenili, qui adoleſcentes macilenti evaſerant, in habitum athleticum poſtea degeneraſſe. Quippe ſola caro ſpongioſa quadã mollitie præ aliis partibus prædita eſt. Cujus nutritio, prout iterum *Excellentiſſimus Dn. Præſes Schol. part. c. 2. t. 3.* diſſerit, augetur,
" prout illius inanitates, ſeu pori ſe habent. Et paulo poſt: Quæ-
" renda potius in his cauſa eſt, cur alii ſubito augeantur & corpu-
" lentiores evadant, alii minus, quidam poſt morbos, quidam
" citò diminuantur: nonnulli ex pane ſolo pingueſcant: quidam
" à lautiſsimis quibuscunque nequaquàm.

§. 137.

§. 137. Ex his modo dictis, quæſtio haut illepida exorta, *cur, qui adoleſcunt, plerumque macilenti, viri verò & ſenes carnoſiores evadant?* cauſa eſt, quod in adoleſcentibus omne illud alimentum ad oſsium cæterarumque partium incrementum impenditur, quod in viris pro carnium nutritione inſumitur. Partes enim adoleſcentes cum multum nutrimenti ad augmentationẽ per poros imbibant, hoc pacto carnoſas alias eo alimento, quod aliàs in earum uſum ceſſerat, privant & defraudant. In illis verò, qui incrementum attigêre, cum partes pauco pro nutritione tantum alimento ſint contentæ, omne illud quod reliquum eſt, in carnium augmentum impenditur. Vel dicendum: juvenum ſanguinem acriorem & calidiorem citius diſsipari, non ita eum qui jam deferbuit, juſtamque conſiſtentiam nondum amiſit.

§. 138. Non modicam ſententiæ huic lucem afflat *Hippocr. 1. aphor. 13.* Γέροντες εὐφορώτατα νηστείην φέρουσι δεύτερον οἱ καθεστηκότες, ἥκιστα μειράκια, πάντων δὲ μάλιστα παιδία τουτέων δὲ αὐτέων ἅπερ ἂν τύχῃ αὐτὰ ἑαυτῶν προθυμότερα ἐόντα. Quibus nõ abſimilia, quæ ſequenti *14.* ab eodem proferuntur. Τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν πλείστης οὖν δεῖται τροφῆς, εἰ δὲ μή, τὸ σῶμα ἀναλίσκεται. Γέρουσι δὲ ὀλίγον τὸ θερμὸν διὰ τοῦτο ἄρα ὀλίγων ὑπεκαυμάτων δέονται.

§. 139. Cauſa eſt, quia adoleſcentium partes caloris vi diductæ, poroſæ & bibulæ, multo largiore alimento, quam in adultis, ſeſe inebriant, unde vaſorum evacuatio & perpetuum cibi deſiderium ſubſequitur. Creſcunt verò ob materiam ductilem, ſequacem, & ad ſuſcipiendos novos poros idoneam. Et hoc eſt *Hippocrati*, qui creſcunt plurimo egent alimento, ſenes verò paucis egent fomitibus.

§. 140. Reſtat *alter* pororum *uſus excrementorum ſequeſtratio.*

§. 141. Ea enim eſt humorum alimentariorum, ſanguinis ſeu ſucci nutritii in corpore noſtro conditio, ut ſemper aliquid excrementitii, quodque in partium ſubſtantiam converti non poteſt, ſecum foveant, quod deinde in ſingulis coctionibus

nibus vi caloris, (qui ut *Ariſtoteles l.3. de cœlo c. 8. t. 74.* dicit: *ποιητικόν ἐστι τὸ συγκρῖνον τὰ ὁμογενῆ, ἢ τὰ ἑτερογενῆ διακρῖνον*) à bonis & alimentitiis humoribus ſeparandum, & per certas atque ad id deſtinatas vias expurgandum ſit.

§. 142. Cum igitur quælibet coctio ſuum peculiare excrementum & ductus, per quos evacuet, habeat, tunc quoque illa ultima alimenti elaboratio, quæ in partium poris fit, peculiare excrementum & vias, nempe poros, per quas excernit, ſibi vendicat.

§. 143. Sanguis autem duplici potiſsimum excremento ſcatet, *ſicco* & *humido*, quorum *prius* ſordes; aqueum *poſterius* appellare conſuevimus, quæ formâ nunc corporea, nunc vaporoſa ſecernuntur.

De *aqua*, ſero communiter dicto, res ſatis clara eſt, quæ tùm publicæ tùm privatæ coctioni adſtat, ea ſiquidem indigemus ad promovendam nutrimenti diſtributionem, cum ſanguis corpus utpote pingue viſcidum ſeu glutinoſum, partium porulos tam promtè penetrare non poſſet, niſi ſero dilueretur parteſque lubricitarentur.

Quo nomine ſerum *Hippocr.* *ὄχημα τῆς τροφῆς*, alimenti vehiculum nominatur, quod ubi munere ſuo functum, in poris reſtagnans, tanquam inutile, maxima ſui parte per os, nares, veſicam, perq; cutis ſpiracula excernitur. *Excrementitiorum* quæ verò qui dicuntur, quia calor noſter multum quotidiè digerit, multum in vapores & fuligines reſolvitur, qui niſi corpore noſtro, quod totum *ἔκπνοον καὶ εἴσπνοον* eſt, protinus exulare juberentur, ignem noſtrum vitalem brevi opprimerent extinguerentque.

§. 144. Ad horum igitur excretionem dati ſunt pori non modò externi, ſed interni: non ſolum ſuperficiales, ſed per totum corpus diſſeminati. Aliter enim putredo & ſuffocatio nullo modo evitari poſſent. His enim foraminulis apertis fit totius corporis perſpiratio, quæ conſtat aëris intromiſsione fuliginoſorum verò, quæ in ſingulis partibus colliguntur, excrementorum expulſione.

§. 145.

§.145. Argumento omnium adinſtar *tranſpiratio* eſſe poteſt, quam tanti fecit *Sanct.Sanctorius*, ut hac ſola corpus noſtrum majore ſarcina, quam ſenſibilibus ſimul unitis, liberari crederet, tantamque excrementorum copiam per hanc unica die naturali, evacuari quantum per alvum 15. dierum curſu, aſſerere non dubitaret, ſicque *aphor.61. ſect.* 1. ſpacio unius noctis 16. ℥ lotii plus minusve: 4. coctorum excrementorum per alvum, 40. & ultra per occultam perſpirationem evacuari ſolere, calculum ſubduceret, *Medicin.ſtaticæ ſ.1.aph.60.*

§.146. Sanè multum perſpiratione inſenſibili quæ fit per poros corporis, quod totum eſt perſpirabile & cutem tanquam naſſam circumpoſitam habet, evacuari, illi concipere haud erit difficile, qui cogitaverit, quantũ ex parte qualibet per poros corporis, dum indumenta ipſa incaleſcunt, perpetua caloris noſtri vitalis ἐνεργεία diſſipari atque diſcuti neceſſe ſit.

§.147. Dicam cum *Gliſſonio ex anat. Hepatis c.39.* ingens eſt procul omni dubio hujuſmodi evacuatio, poteſtque eadem vel ex habitu, quem cum anima perpetuo exſpiramus ulterius dignoſci.

Nam ſi rem rectè putemus, altero ferè tanto amplius exſpiramus, quàm inſpiramus, ſpirituque aliquoties in ſpeculum illiſo, nubecula ſtatim, roris inſtar, oboritur.

Atque ad aliarum partium exhalationem quod attinet, ſi calidioris pollicis interiorem partem prope argentum aut ſtannum expolitum admoveris, halitus inde emigrans metallum illicò inficiet.

Cogitanti verò idem à reliquis omnibus corporis partibus idque ſingulis momentis fieri, haud multum profecto abſonus videbitur *Sanctorii* calculus.

§.148. Non negandum tamen, omnes iſtas exhalationes partes excrementitias non eſſe, ſed ſimul etiam cum his multum caloris vitalis, multumque ſpirituum perire, atque in auras evaneſcere, quorum jactura deinde ſimilium ſubſtitutione reſarcienda ſit. Nam ſi hoc non eſſet corpus noſtrum nutritione non egeret, cũ nihil effluxiſſet, quod in locum deperditi

 diti

diti reponi deberet. Hoc autem fit, quando calor noſter vitalis acris exiſtit, aut partes minus glutinoſæ, aut ſi contingat eum motu concitatiore agitari, ut partes ipſas motu ſuo & agitatione atterat, corporis habitum diſſolvat, atque ita per poros educat: qui deinde, ne partes ſolidas prorſus depopuletur ac conſumat, illas indeſinente nutritione reficere conatur.

§. 149. Neque exiſtimamus cum *Gliſſonio*, omnes iſtas exhalationes eſſe calidum innatum ſeu ſpiritus in vapores converſos. Certè minima earundem pars ſpiritus ſunt, ſed fuligines terreſtres, aquei, ſalſique vapores plurimi, quos ex partium porulis diſcuti neceſſe eſt. Cum enim natura noſtra dulci gaudeat, quod nutritio ſui juris facit, reliquum omne quod ſalſedinem ſapit, vel per veſicam, vel poros eliminari debet.

Qua ratione autem ſerum ſe humoribus reliquis adjungat multumque de horum ſubſtantia in ſe imbibat, enucleatè exhibet *Hiſtoria ſeri ſanguinis Dn. Præſidis aucta denuo, recognita & typis iterum expreſſa*.

§. 150. Quanta itaque pororum in hoc ſit utilitas, vel ex eo perſpicere licet, ſi conſideremus, quanto & quali onere corpus noſtrum per hos ſublevetur, quantave ex hujus retentione, ob denegatas has vias, ſaluti noſtræ calamitas accidere queat. Cujus quidem evacuationis rationem ulteriorem iniremus, niſi omnia de hac ſcitu digna in *Sancti Sanctorii quondam Profeſſoris Patavini Medicina ſtatica* extare crederemus.

§. 151. Nobis ſcire hac vice ſufficiat, tranſpirationem inſenſibilem pro diverſa & varia pororum conſtitutione diverſas quoque verſare vices, modo inhiberi, modo confertim erumpe e.

§. 152. Quod enim effluvium hujus longè copioſiſſimum eſſe in pueris ad trutinam ſe comperiſſe dicat citatus *vir celeberrimus*, nulli alii cauſæ quam corpori eorum poroſo & undiquaq; permeabili aſſcribi poteſt, quod multum lactis nutrimentalis abſorbens, ſeroſum quod eſt ac redundans per poros cutis largiter extrudit.

§. 153. Sic poros claudere, obturare, atq; ἄδηλον δια-

πνοὴν

πνοὴν divertere poſſunt *animi anxietas, mœſtitia, timor, victus craſſus, viſcidus & ad diſtribuendum ineptus. ocium, vigiliæ, qualitas aëris craſſa & inquinamentis malignis infecta, regio frigida & ſicca &c.* eosdem *vero recludere, aperire & excretionem adjuvare valent hiſce contraria.*

§ 154. Fit quoque transpiratio hæc ἄδηλος δῆλος in exercitiis, frictionibus æſtate calida & balneis &c. quando pori ita reſerantur, ut magna aquearum molecularum copia per hos confertim erumpat, quæ deinde vi frigoris exterioris compreſſæ ſimul & condenſatæ cuti, ceu guttæ alembico adhæreſcunt, vocaturque ἵδρωσις ſudatio, quæ ſi modica, tum ob porulorum apertionem, tum ſeri à ſanguine ſeparationem, ad nutritionem valde proficua judicatur, ut proinde tantum abſit, exercitia moderata ad emaciationem corpori inducendam facere, ut potius, qui hiſce indulgent, ad habitum carnoſum & robuſtum ſibi conciliandum, hoc ipſo aliud tam ſalubre remedium non inveniant. Agitatione quippe hâc partium compages diducitur, abdita recluduntur, ſanguis cum ſuo vehiculo ad exteriora rapitur, ſudor provocatur, ſicque copioſe per poros excernitur. Optimus itaque corporis habitus magnus & carnoſus tum *Hippocrati* tum *Galeno* γυμναςικὸς, athleticus nuncupatus fuit.

§ 155. Cæterum *cur ſudor à modico calore melius provocetur, quam intenſo & ſicco* diſquiſitione non indignum eſt. Experientiâ enim docemur manum tectam facilius ſudorem emittere, quam nudam igni impoſitam, & lagenas ſtanneas aqua fervente repletas mollius ſudorem in lecto provocare, quam lateres argillaceos calefactos. Cauſa eſt, quod calor placidus mitius non ita violenter poros aperiat, quibus apertis ſudor largius profluit: acris & ſiccus autem violenter expulſus non tam aperiat poros quam conſtringat, craſſa una cum tenuibus adducens, quo minus blande ἐφίδρωσις ſequatur.

§. 156. Eadem cauſa eſt, *cur ſomnus magis ſudorem creat, quam vigilia.* Siquidem virtus caloris tunc temporis naturaliter ad interiora revocata, novas acquirens vires, ſenſim ſenſimque

ſimque ſeroſum quod eſt per poros emittit, non ſecus atque videmus res balneo roris aut mariæ concreditas plus humefieri, ac cum igni arenæ committuntur.

Frictiones quoq; ſudorem allicere & excrementa ſeroſa diſſipare *Hippocratis* congruum oraculo eſt *lib. 3.* κατ' ἰατρεῖον *text. 26.* exſtans, corpus ſiquidem ſolvunt poroſumque reddunt.

§. 157. *Inadæquatus pororum uſus eſt ſpirituum animalium pro ſenſu & motu diſtributio.* Ut enim ſpiritus animales partibus quoquoverſum diſpertiri poſſent, natura ubique infinitos mæandros & occultos tranſitus molita eſt.

Etenim cum ſine influxu horum ſpirituum nullus partibus nec motus nec ſenſus inſit, in ſingulis autem partis punctulis ſenſus percipiatur: etiam hunc ſpiritum per poros ad omnes particulas diffundi, eisdemque aſſociari conſequitur.

§. 158. Nec quisquam ſibi perſuadeat, ibi tantum eſſe ſenſus dignotionem, ubi nervorum eſt inſertio. Spiritus enim animales, ubi nervis, canalibus ſuis, exciderunt, undiquaq; dilabuntur, totique adeò parti ſentiendi vim impertiunt. Ideoque quod *Hieron. Fabr. ab Aquapend. tract. de artificio muſculor. p. 116. de cute:* id nos de aliis partibus dicere non dubitamus: nempe vim ſentiendi ceu lumen totam partem penetrare atque colluſtrare, & quo etiam minima nervi fibrilla non adjacet aut pertingit, eo tamen nervi è diſſito alterationem irradiationemque pervadere & transfundi, qua præſente poſtea pars de objecto debitè dijudicet.

§. 159. Quomodo autem hoc fiat, docent *Leuſippus, Democritus* & alii, quorum fit mentio apud *Ariſt. l. 1. de generat. & corrupi. c. 8. t. 56.* τοῖσι μὲν οὖν δοκεῖ πάσχειν ἕκαστον διά τινων πόρων εἰσιόντος τοῦ ποιοῦντος ἐσχάτου καὶ κυριωτάτου, καὶ τοῦτον τὸν τρόπον καὶ ὁρᾶν, καὶ ἀκούειν ἡμᾶς φασι; καὶ τὰς ἄλλας αἰσθήσεις αἰσθάνεσθαι πάσας. Cum enim ſentire ſit actio, actio autem fiat per contactum, ſpaciola utique dari neceſſum eſt, per quæ agens κυριώτατον, ſpiritus animalis, ad ſuum patiens objectum moveatur eique conjungatur.

§. 160 Be-

§. 160. Benè quapropter *Franciſc. Baconus de Verulamio Sylv. Sylv. ex. 694.* ſi alia, *ait*, ſuppeterent organa & qualificatæ „ perforationes tranſeuntibus ſpiritibus permeabiles, augeretur „ ſenſuum numerus.

§. 161. Quales perforationes ſeu poros, ſi dicere liceat, qualificatos cum omnes membranæ, imprimis verò cutis obtineat, meritò illis ſentiendi atque de objecto tangibili dijudicandi munus deferimus.

Eadem ratio motûs quoque eſt, quem vis προαιρετικὴ à cerebro per nervos in organa illius, muſculos, transfundit.

§. 162. In ſpecie *cutis in vola manus*, ut jam pridem docuit *Galenus lib. de temperam. c. 9.* exquiſita præprimis ſentiendi facultate pollet, porulos ad id ſatis diſpoſitos à natura obtinens, in quibus cum nunquam non ſpiritus animalis, vitali in conſortium additus, præſens ſit, hariolari non erit difficile, cur baculo manu in terram defixo, extemplo de qualitate objecti tactilis, facultas æſtimativa judicet. Confer huc quæ hujus gratia poſteritati reliquit acutiſsimus *Carteſius libro ſingulari de homine.*

§. 163. Conſimiliter reliqua quoque carnibus inducta cutis, quò tenuior & poroſior ſe habet, eò exquiſitius ſentit, magna nimirum ſpirituum per easdem vias transmiſſorum copia turgens. Eadem cauſa eſt, cur in quibusdam partibus facilè pruritus & titillationes excitentur, in aliis verò non.

§. 164. Quid mirum ergò homines agreſtes durisque laboribus aſſuetos externas injurias, plagas velut, frigus, æſtum immodicum melius &c. tolerare, nec de qualitatibus tactilibus tam promtum accuratumque judicium ferre ſolere ac molles. Gerunt cutem nimirum ſolidiorem & compactiorem, quam ut ſpiritus animales illam penetrare queant. Ut enim ſubtiliter nonminus quàm acutè philoſophatur *Cæſalpinus*, ſenſus tactus in temperato, non verò in intemperato habitat.

§. 165. Callus ex labore parti obductus cum ſpiritibus animalibus omnem viam ſua duritie interſepiat, eandem ἀναίσθητον efficit.

§. 166. Idem

§.166. Idem de tumoribus ſcirrhoſis & omnis ſenſus expertibus ſentire licet, quoties humor craſſus & lentus inania partis alicujus ſpatiola ſubiens, facile viam ſpiritui animali tranſeunti, à quo vis omnis ſentiendi proficiſcitur, gummi ad inſtar opplet, vel ſi mora diuturniore tenuis qui eſt, terream acquirit conſiſtentiam, aſſumtis nimirum & diſcuſsis aqueis.

§.167. Cæterùm cum non in omnibus partibus, ubi pori ſunt, dictorum ſpirituum diſtributio fiat, evenit, ut hujus uſus poris minus adæquatus dicatur.

§.168. *Præternaturalis pororum uſus* in morbis conſpicitur, eſtque duplex potiſsimum, I ut reſpirationi ſufflamine injecto, excrementa fuliginoſa per hos excluderentur, ut fit in apoplecticis & hyſtericis, qui cum alias absque reſpiratione, ne quidem per horulæ quadrantem ſine ſuffocationis periculo viverent, ſola transſpiratione tamen per poros ſibi ſalutem aliquandiu quærunt.

Cujus beneficio quoque urinatores frui conjicit *Thom. Barthol. lib. 2. c. 10. Anatom.* Qui ut *Manilius*

—— norunt animam ſervare ſub undis
ſcrutarique fretum, ſi quid marceſcit in undis
adductum quoties non auferat anchora funem.

Sic cujusdam Colani urinatoris in Sicilia meminit *Cardanus lib. 11. de ſubtilit.* qui ternis atque quaternis horis ſub aqua latitabat. Quod idem de Ægyptiis quoque ſcribitur, illos eſſe urinatores perfectiſsimos & urinando deprædari.

§.169. II. ut medicamentis & cauſæ morbificæ tranſitus per hos concederetur. Frequenter enim fit in morbis, præprimis febribus acutis ac malignis, ut μίασμα ejusmodi transſpiratione aut per ſudores criticos vel à natura vel medico naturæ ſuccurrente, per poros educatur.

§.170. Unde cum διαφόρησις ſine apertione pororum fruſtra tentaretur, diaphoretica ſimul humores aperiendi, incidendi, attenuandi, atque in peripheriam corporis illos ſecum deferendi vim habere neceſſum erit. Humoribus ſiquidem illa deberur actu fluidis iisque aqueis, qui quò promptius expel-

lan-

lantur, corpora prius εὐϱϱα ποιεῖν, ſapienter imperat *Hippocrates.*

§. 171. *Diaphoreticorum* uſus certè maximus eſt, in morbis venenatis & contagioſis, ubi contagium, quod ſpirituoſa & ſubtilis quædam materia eſt, quaqua verſum corpori communicatum, non humores modo corrumpit, ſed ipſam quoque vitalem mumiam adeundo, ſpiritus figendo, vires cordis opprimendo & ſi fieri poteſt ſuffocando, nihil intactum relinquit, quod non iſtis ſuis inquinamentis repleat. Adhibere ergò ea hic expedit, quæ ab ejus inſultibus cor una & ſanguinem liberant, ſuntque præprimis volatilia ſalia balſamica à centro ad ambitum venenatam materiam pellentia.

§. 172. Non minor ductuum horum in *apoplecticis & ſyncopticis* uſus eſt, ubi virtus medicamenti aſſumti calore ventriculi excitata, per poros recto tramite & uno quaſi momento ad partem affectam appellit, ſpiritusque ſopitos excitat; quotum aliàs ſpem quævis cunctatio remedii fruſtrari poteſt.

Idem eſto de *topicorum*, ad eadem profligenda ſymptomata uſu, judicium. Quicquid enim minima pars habet, hoc maximæ confert & vice verſa, *Hippocrat. lib. de loc. de homine.*

§. 173. In quem finem plebeis pariter atque divitibus in uſu eſt, cutem unguentis, emplaſtris, balſamis, aquis apoplecticis & omnis generis analepticis illinire; ſicq; evacuandi etiam datur neceſſitas, mercurialibus aliisque catharticis medicamentis.

§. 174. Sic quidam acidulis utentes habitum plethoricum ſolvunt, idque nemine animadvertente; quum ſuperfluum quod eſt, per poros inſenſibiles excutiant.

§. 175. *Summus ſeu ultimus pororum finis eſt ſanitas,* quippe quæ ſine ſalva horum meatuum conſtitutione conſervari nequit.

§. 176. Hæc cum medici auxilio carere vix poſſit, ceu alterationibus perpetuis obnoxia: incaſſum laborarem, ſi quæ de poroſitate corporis humani θεωρητως adduxi, fini huic, qui medicinam ſector, non accommodarem.

§. 177. In eo enim omnes occupati ſunt artifices, ut omnia fini ſuo adaptent, ex quocunque etiam rerum fonte petantur.

§. 178.

§.178. Interea opellæ meæ ſat hac in palæſtra conſcius, ea ὡς ἐν συνόψει ſaltem adducam, ex quibus utilitas pororum pro feliciter facienda medicina, & fine ſummo potiundo peti debeat.

§.179. Ad curandum autem & ſanum conſervandum corpus, *tria* ob oculos poſita medicus ut habeat, eſt neceſſe, ſuntque διάγνωσις, πρόγνωσις, καὶ θεράπεια.

§.180. *Diagnoſis* circa ea verſatur, ut præſens ſanitatis & morbi ſtatus per ſua ſigna dignoſcatur, deſumiturque 1. à ſpecie adfectûs in ſtatu præternaturali, quemadmodum in ſtatu ſecundum naturam, à differentiis ſanitatis totius & partium. 2. à parte adfecta ſeu ſubjecto. 3. cauſis. 4. ſimilitudine.

§.181. Innoteſcit *ſpecies ſeu idea* ex *eſſentialiter inhærentibus*, & quæ hæc *conſequuntur*, *poſteſſentialibus* nuncupatis.

§.182. Si v. g. *in cute corporis* nulla ad tactum aſperitas perſentitur, tumores vel puſtulæ non apparent, rugæ ſqualor & ariditas abſunt, omnium maxime autem transſpiratio naturaliter ſe habet, ſicq; conſuetæ, loco & tempore ſudationes non ceſſant, tunc bona ac integra pororum denotatur conſtitutio.

§.183. Contraria adſunt in ſtatu præternaturali pororum, cum eorum qui antea aderant, nullum datur veſtigium, vel laxiores vel ſtrictiores, vel repleti ſordibus ſunt, ceſſant ſudor & transſpiratio &c.

§.184. Simile obſervatur in aſthmate, difficili reſpiratione, ἀνακαθάρσει inhibita & impedita, oppletis iisdem viis in pulmone, aut conſtrictis & ſubſidentibus, veluti in metallurgis, quorum pulmonum parenchyma à vaporibus metallicis aridum attenuatum & exſuccum plerumque deprehenditur, qua de *Paracelſus lib. ſingulari*, von der Bergſucht. vel relaxatis & nimium admittentibus, ut in catarrhis ſuffocativis, ſputo copioſo, humore vitioſo, ἀθρόως confluente & exitum ſibi quærente materia. In ἐνχυμώσει, cute cruenta, lividâ, in ictero utroq; poris membranarum repletis ſanguine, bile. In χλωρώσει, λευκοφλεγματία, variolis, morbillis.

§.185. *Pars adfecta* ſeu *ſubjectum* benè ſe habere docet, ſi tepo-

ſi teporem ſuum ſervat naturalem, rationabile enim eſt, ſenſuique ſatis evidens, humidam admodum patentiores, ſiccam ſtrictiores reddere poros; frigidam penitus occludere, calidam eosdem tabefacere. Sic à febrili calore intenſo cutis redditur ſqualida, arida fit lingua. In hydropicis hepatis parenchyma ita indureſcit, ut exuto omni colore ſanguineo, album, ſolidum & compactum conſpiciatur.

§.186. In *prava conformatione* partium pori ſitum ſuum mutant, & hinc infelix nutritio, augmentum partium inæquale, tum uni quod decedit, alteri adfluit; tale ſuggerunt ſignum oſſa fracta & luxata, muſculi diſtenti & dislocati.

§.187. In *magnitudine aucta* neceſſe eſt augeri, quemadmodum in diminuta fatiſcere pororum actionem, prius in tumoribus & inflammationibus partium, poſterius in gracilitate, atrophia & phthiſi obvium fit.

§.188. *Eroſa parte* eroduntur pori, ut in ulceribus, diſciſſa, ut in vulneribus, motus ſequitur impotentia, partes ſuppurantur, & quæ exſangues ſunt, cicatricem contrahunt.

§.189. Poris inſuper benè vel malè affectis, non minus atque carnibus oſſibusque quibus inſunt, *dolor* & *voluptas* adſtat. Repleti ultra modum ſubitò & cum impetu ut in illos agente objecto tangibili, impenſe dolent, & nunc gravari, nunc diſtendi, pungi, divelli ſe teſtantur. Sic in febrium acceſſionibus ſpontanea adeſt laſſitudo; in variolis & morbillis dolor acicularum adinſtar modò dorſum, modò utrosque artus occupans; in partibus eroſis & vulnerati dolor & voluptas alternando ſeſe exercent.

Elegans eſt hiſtoria in rem præſentem quadrans, quam re- »
citat *Galenus 1. de ſanit. tuenda. 12.* Ego puello quodam totam »
diem irato ploranteque ac immodicè inordinateque jactante, »
nutrice ipſa omnis conſilii inope, deprehendi quod offendit: »
quippe ut neque papilla in os immiſſa, neque à nutrice prola- »
tus, ſi fortè mejere aut alvum exonerare vellet, lenitus eſt, ſed »
nec cum ulnarum agitatione commoveri eſt cœptus; adverti »
autem, tum lectum, tum involucra, tum veſtes ipſas ſordidiores, »

F præ-

„ prætereà puellum ipſum immundum, atque illotum lavare de-
„ tergereque juſſi, tum lectulum mutare, ac veſtem omnem ter-
„ ſam mundamque præbere. Quibus peractis protinus ab im-
„ modico motu quievit, illico dormivit, non ſvaviſſimum modò
„ verùm etiam longiſſimum ſomnum.

§. 190. *In actionibus vitalibus & animalibus* vitioſa ſeſe exhibet nutritio, anxietas & jactitatio totius & partium rigor, horror, pandiculatio, calor, frigus, alternis inter ſe decertant vicibus.

§. 191. *Retenta* ut ſordes, illudque cutis vitium, quod dracunculos appellant; *excreta*, ut ſudores, lacrymæ, mucus narium, transſudationes ſanguineæ &c. ut partium ita & pororum affectorum dabunt notitiam.

§. 192. *Coloris varietas* in cute ad poros relata, humorum quos tùm attraxerunt, continent, diſtribuuntq; indices ſunt, veluti bilis flavæ in ictero flavo, nigræ in nigro, ſeri & aquæ in levcophlegmatia, in carnis contuſionibus ſanguis. *Fœtor* ſatis eminens ſub alis & plantis pedum in his qui temperamenti calidi & humidi ſunt. Idem à propinatis medicamentis ut ſpiritu C. C. fuliginis accidit. Odor ſuavis ab ambratis & moſchatinis in unctis vel aſſumtis.

§. 193. Pertinent hùc maculæ omnis generis, ex quibus etiam ſunt, quæ in cute eorum ab incubo oppreſſorum, in brachiis femoribusque, obſervantur, vulgus Alpenflecke appellat. Uno verbo: in conſtitutione præternaturali *facies cadaveroſa Hippocratis 1. prognoſticῶν* eleganter ab eodem expreſſa.

§ 194. *Cauſæ* poros alterantes ſuis ſignis propriis dignoſcuntur, qui vel *humores* vel *vapores*, vel *res ſolidæ*, intus genitæ vel exterius immiſſæ.

§. 195. *Humores* ſunt vel *alimentales*, qui ſi *calidi & tenues* multum, poros diſtendunt, unde πλεονεξία: ſi *calidi, ſicci, ſalſi ſimul & acres*, corpus rarum macilentum cacochymicum faciunt. *Frigidi & humidi* cum lentore transſpirationi obſunt, & ſi abundant, œdematum autores. *Frigidi ſicci* contrahunt carnes, poris nihil vel parum communicant, ex quo mania & febres.

§ 196.

§. 196. *Excrementi* tàm *naturales* quàm *præternaturales*, ex *colore*, *ſapore* & *motu* diagnoſin ſuam mutuantur, cum quibus, ſi cauſæ à quibus generantur & conſervantur, conferantur, facillimè quid partes adfectæ, quid poros adficiat, patere poterit.

Examaritie ſudoris, ut ſcribit *Galenus l.4. de ſanitat. tuenda.* bilis præſentia innoteſcit, quæ luteo inficit colore, inflammationes eryſipelatodes excitat, ſimulque acrimonia ſua ſenſum tactus irritat, De *Salſa pituita* teſtatur ejus abundantia in corpore, ſudor, lotium, ſalvivia ſalſa excernuntur. Præceſſit victus ſimilis, corpus eſt calidum, humorum dulcedinem exſuperantia caloris in ſalſum mutans. Idem de *acida* ſentiendum. Comperimur adeò acidos ſudare ſudores hypochondriacos quandoque, ut acerrimi aceti inſtar odorem præ ſe ferant. *Maligni* putrefactione, viriumque vitalium langvore insolito, ſe manifeſtant; maculis rubris, nigris lividis corpus hinc inde eſt infectum.

§. 197, *Vapores* & flatns ex materiebus prægreſſis, item alimentis & medicamentis proficiſcuntur, nunquam tamen absq; debilitate caloris oriuntur. Cum jam autem facti ſunt, à calore forti quoq; agitari & exaſperari eos conſtat, tantoque deterioris indolis eſſe hi perhibentur, quanto tota peccant ſubſtantiâ.

§. 198. Tales in poris reperiri tumorum renitentia & depreſſio arguunt. Cum variolæ aut hydatides acu punguntur, eum ſaltu ſpiritus proſilit. Idem hoc formicationes brachiorum & tibiarum in hypochondriacis atteſtantur.

§. 199. Ex *naturalibus* & *nonnaturalibus* tùm laudabilis tum vitioſa pororum agnoſci poterit diſpoſitio.

§. 200. *Prioris generis* ſunt *temperamentum*, *ætas*, *ſexus*, *conſvetudo*, *hæreditaria diſpoſitio*; his enim ut optimè ſanum ab non exacto: ita inſalubre à penitus morboſo dignoſcitur. Poroſior eſt puer ſene, calidus frigido, vir muliere, otio moderato conſervantur pori, labore nimio exhauriuntur. Macilentis à parentibus nati, gracilitatem ſuam his quoque debent.

§. 201. Ex *poſteriorum claſſe ſunt*, *aër*, *cibus*, *potus*, *medi-*

camenta intus & extra adhibita, balnea, venena, motus & quies, vigiliæ & ſomnus, excreta & retenta, animi affectus.

§. 202. Similia enim ut ſubjectum, ita & quod ſubjecto ineſt, poros puta, conſervandi & corrumpendi vim habent.

§. 203. Ita aër frigidus conſtipat poros, calidus aperit; humidus laxat & replet, ſiccus abſumit & deplet.

§. 204. *Cibus* omnis à temperato deficiens aut extenuat aut replet. *Prius* præſtant carnes animaliũ vel nimis recentes vel veteres, quibus ſi acciderit qvalitatis exſuperantia aliqua, tum ex primis tum ſecundis, tunc evidentior apparebit diagnoſis, tantoque magis, quo una adminiſtrandi ordo fuerit poſthabitus.

§. 205. *Potus* eadem eſt ratio, calefaciens fortiter reſolvit & attenuat, ut vini Cretici, Hiſpanici: infrigidant vina rubra, incraſſant dulcia, ὀλιγόφορα citò penetrant.

Experimento, nobis ſunt potatores qui pro ratione potus nunc magis, nunc minus temulentos, laſſos & infirmos à facta crapula ſe ſentiunt.

§. 206. *Medicamenta* & *venena* quomodo conſtipent vel laxent & protinus auferant poros, ἀραιωτικὰ, στεγνωτικὰ ἀποκρουστικὰ, ἀνασπαστικὰ, καθαιρετικὰ, μαλακτικὰ, ἐμπλαστικὰ πυωτικὰ, ῥυπτικὰ ἐσχαρωτικὰ, καυστικὰ & σηπτικὰ aſſumta vel exterius partibus immiſſa ſatis ſuperque atteſtantur. Ad horum ſiquidem uſum alteratio in poris clarè perſentitur.

§. 207. *Quies* moderata quid præſtet motusque tempeſtivè inſtitutus, ſuprà expoſuimus.

Immoderata vim expultricem debilitat pororum, quo minus diſtribuat & expellat quod continet. *Motus* vehemens ſudorem fortiter provocat & inſimul bonum cum malo ad poros advocat, quin & quod adduxit, abſumendo, ſtrenuè exſiccat, hinc laſſitudinis ea ſpecies quæ τεινώδης, *tenſiva* *Galeno* appellatur.

§. 208. *Vigiliæ* & *ſomnus* ἄμετροι easdem cum præcedentibus diſpoſitiones poris inducunt.

§. 209. De *excrementorum* & *retentorum* incommodis actum jam eſt antea.

§. 210. *Ve-*

§.210. *Venus immodica* tonum pororum immutat, & humidum protinus expellit, ad motûs etiam *impotentiam*, *vigilias* & *cruditates* invitat. Undè vel calvi vel podagrici vel ſcabioſi plerumque Bellonæ hujus milites ſunt.

§.211. *Animi motus, ut cura*, ſanguinem & ſpiritus à centro ad circumferentiam leviter perducunt ſi moderati ſunt, modum verò excedentes, ſanguinem incraſſant, vel diſſipant, unde mœrore afflictis flaccidæ ſunt carnes, iracundis firmæ; lætitiâ affectis ſucculentæ, bene coloratæ, ad ἐφίδρωσιν perducentes.

§. 212. A *ſimili* denique pororum proba vel mala diſpoſitio, tum ſecundum ideam tum magnitudinem &c. optimè deſumi poterit, ſi ſanus cum ægro, pars cum parte, ægra cum ſimili ægra conferatur. Quem locum etiam ſignorum tanti fecit *Hippocrates*, ut præcipuum & principalem ceu genus ſpeciei prætulerit, quod videre eſt *libro cumprimis de iis quæ in medicina fiunt*.

§. 213. Proinde ut rectum inde eſt ſui obliqui: ita obliquum cum ſimili collatum eo evidentius, in quonam ratio differentiæ ſita ſit, oſtendit.

§.214. *Prognoſis* ſequitur, quæ futurum pororum ſtatum prædicit, ex iiſdem fontibus deſumta, eſtque circa *tria* potiſſimum occupata, affectus *ſalutem & mortem*. 2. *longitudinem* & *brevitatem* ejus. 3. *modum eventûs*.

§.215. Hac de audienda eſt ſententia *Galeni 1. acutor. com.* 3. cum ſcribit: curationem propter ſe, dignotionem autem & prænotionem propter curationem exerceri.

§. 216. Nec curatrici parti medicinæ magis eſt ulla tam propinqua, ipſâ hâc prognoſi, eodem iterum hoc aſſerente *lib. de conſtitut. artis. c. 12*.

§. 217. Nemo igitur, ut benè ſcribit *Julius Cæſar Claudinus tractat. de ingreſſ. ad infirmos*, tam craſſæ erit Minervæ, qui ad rectam medicamentorum indicationem deſcendat, niſi prius cognoverit an morbus curationem admittat.

§. 218. Ratione *generis*, optima ad ſalutem & ſanitatem

 con-

conferens pororum in partibus diſpoſitio, quæ naturali reſpondet.

§. 219. Quo igitur in defectu aut exceſſu major eorum receſſus â ſtatu natutali, eo pejus de ſe dabunt judicium.

§. 220. *Deterior ſtrictura* eorundem apertione & relaxatione, nihil enim tùm attrahi, tum expelli poteſt unde στενοχωρία putridarum febrium, ſphaceli gangrænæ ac tabis nuncius eſt. Sic à balneis aluminoſis febres tùm putres tùm imputres adnotavit *Galenus*.

§. 221. Ea pororum laxitas quæ continuò recipit & expellit, manifeſtè debilitat, & hinc omnes ſudores, exceptis criticis, nimii continuique in morbis mali, vires enim dejiciunt & calorem exſtinguunt. Deteriores ſunt ſudores ſyncoptici

§. 222. Ratione *ſubjecti*. Totius corporis conſtipatio, ut in maraſmo ſenili, habetur pro incurabili.

§. 223. Quò ad actionem ſuam exſerendam pars aliqua plus poris utitur, eò gravior laborat, cùm vel depravatam vel vitioſam ſe ſentit. Hinc pulmones ad aërem tranſmittendum & chylum diducendum, omnium frequentiſſimè & periculoſiſſimè laborant in empyemate, pleuritide, peripneumonia, deſtillationibus & humorum congeſtionibus.

§. 224. Celerius mors pertimeſcenda poris ad ſpiritum vehendum, quam alimentum deducendum ordinatis, unde apoplectici, ſyncoptici & qui derepentè muti fiunt, ægrè curabiles.

§. 225. *Partes exangues*, ſeu ſpermaticæ vocatæ, ſemel induratæ vix emolliri poſſunt. Carnoſæ aut ſanguineæ & refici & redintegrari valent. Utrumque vulnera & ulcera partium talium confirmant.

§. 226. *Morbi pororum* in *pueris & mulieribus* felicius curantur, quam qui virorum ſunt & ſenum. In illis enim cum caloris moderatione & multitudine humidi primogenii copia, regnat, habitus mollior eſt & ſucculentior: in his autē vel acrior calor ad ſiccitatem perducens, vel frigus & alimenti inopia, ca-

lidum

lidum innatum ſenſim deſtruente, tonumq; partium infirmantes. Hinc viri à motu nimio magis læduntur, à quiete longiore ſenes plus redduntur invalidi; recens natorum oſſa citius reſtituuntur atque cum ſenes hoc attigerit.

§. 227. Cæterùm tamen plenitudo corporis in ſanis lubrica eſt, athletarum exemplo 1. *aph. 3.* *Graciles* corpus magis perſpirabile habentes, valetudinariam vitam tam crebrò non agunt, niſi errorem in diæta aliquem commiſerint.

§. 228. *Partes* quò magis *robuſtæ*, eò robuſtiores quoque meatus hos habent, injuriisque externis fortiter reſiſtunt.

§. 229. *Exteriores* partes præ internis, ut magis ſunt poroſæ, ita magis laborant. Gravius frigidæ & ſiccæ, mitius calidæ & humidæ.

§. 230. Vetularum venter & facies neſcit mentiri deformitatem ſuam, quam ex conſtrictione & arefactione pororum contraxit.

§. 231. *Partes* quò magis defluxionibus tentantur, eò magis debilitantur, quod videmus fieri in eryſipelate, arthritide utraque, ophthalmia, catarrhis &c.

Hinc licet ſymptoma hoc mitigari queat, funditùs tamen everti nunquam poterit, unde partium harum *ἀκινησία*, tophi, calli & ejus generis morbi alii.

§. 232. *Ratione cauſſæ*, à cauſa externa alterante facilior ſperanda ſanatio quam corrumpente, ut ſunt aër peſtilens, malignus, venena & morſus ferarum venenatarum & rabioſarum. Ab humoribus alibilius ſpes eſſe dicitur major; ab excremētitiis periculo non vacat, præſertim ſi firmati in aliqua parte fuerint. Tenues citius abiguntur, craſſi diutius hærent.

§. 233. Qui putreſcentes ſimul ipſas partes putre faciunt, erodendo, abſumendo, hi omnium peſſimi ſunt, qualis bilis aduſta, æruginoſa, ſalſa.

§. 234. Ab acidis humoribus & ſalſis dolores excitantur contumaces, qui recidivam faciunt.

§. 235. *Vapores* ſi calidi & acres fuerint pruritum inducunt:

cunt:

cunt: ſi aquei, magis illas emolliunt, ſi ſicci convellunt & extendunt, undè dolores tenſivi, convulſivi, ut in epilepticis.

§. 236. Narcoticâ vi imprægnati, rigidum corpus faciunt, ut in catoche & cum diſcuti nequeunt, dolores in membranoſis partibus; pungitivos & tenſivos inducunt, vel etiam lethales prope ſopores faciunt.

§. 237. *Longis* & *brevibus* temporum articulis, ſanatio eorundem eſt ſubjecta. Quò materia, quæ eos obſtruit, facilioris eſt reſolutionis, eo brevior morbi ſolutio. Secus, ubi craſſis infarcti ſpectantur humoribus.

§. 238. *Externarum* partium pori malè adfecti, brevius emendari, quam *internarum* queunt. Ad illas enim medicamentorum virtus integra pervenire poteſt.

§. 239. Quamdiu ulcera pulmonis curæ ſubjiciuntur, item ſcirrhi epatis & lienis ipſaque imbecillicitas ventriculi, ſatis eſt in aprico.

§. 240. Ulcera vulnera & rupturæ in externis citius coeunt & coaleſcunt.

§. 241. Quo magis partes ortui vicinæ eò celerius perſanantur. Oſſa infantium breviori tempore ferruminantur, quàm adultorum & ſenum.

§. 242. Suſpendunt curationem graviora quæ his accidunt ſymptomata, cumq; aliis morbis copulanrur v.g. ſcabie, inflammatione, dolore &c.

§. 243. Oſſeæ & cartilagineæ partes in ſenibus ante 40. diem non occalleſcunt. Siccitas enim pororum nimia hoc impedit. Calida multa callum abſumunt, dum alimentum diſcutiunt.

§. 244. Quò tamen magis ſenſui expoſitæ ſunt, ita ut ab arte naturæ defectus reſarciri queat, eo brevior ſperanda curatio.

§. 245. *Modum eventus* ad *ſalutem* uſus eorundem, ad priſtinum revertentes ſtatum patefaciunt; prætereà ſi cum ſanis ſimilibus conferuntur, abeſt ſumptomatum graviorum concurſus.

§. 246. Si corpus laſſitudine preſſum nunc agile iterum

rum & tranſpirabile penitus evaſit, nullus adeſt pruritus, ſudor redit, liberior reſpiratio ducitur, color vividus eſt, excreta naturalem obſervant conſiſtentiam.

§. 247. Ad *mortem lentè* fit mutatio in maraſmo ſenili & phthiſica extenuatione colliquatione carnium, gangrænæ & ſphaceli acceſſione ſi materia, quæ per poros expelli debet, alias captat vias, vomitum, fluxum alvi, hydropem &c. excitat. Iuvantia ſine fructu abeunt.

§. 248. *Subitò* à poris obſtructis aut reſolutis moriuntur apoplectici, catarrho ſuffocativo, ſuperveniente ſyncope, functionemque tàm principum quàm minus principum proſtratione & ablatione ſubitanea.

§. 249. Θεραπεία ſeu *curatio*, quam dixi per ſe à medico expeti, nititur ſuis *indicationibus* & ſcopis, teſte *Gal. 2. m. m. 7. & 8. κ. τ. 2.* tùm *materia ſeu inſtrumentis*, triplicis generis, *chirurgicis, pharmaceuticis*, & *diæteticis*, præeuntibus nobis & præcipientibus hoc *Hippocr. de rat. vict. in acut. 6. Gal. l. c. artis medicinalis. Avicenna. 4. 1. c. 1.*

§. 250. Quod indicationes attinet *duorum generum* hæ ſunt, à rebus nim. p. n. quæ contrariis curari, & ſ. n. quæ ſimilibus conſervari deſiderant, petitæ.

§. 251. *Præternaturalium* alia *debetur morbis* pororum, veluti eorum obſtructioni, laxitati, denſitati, aſperitati, lævitati, humiditati, & ſiccitati, ſolutæ unitati, qui, aperientibus, adſtringentibus, rarefacientibus, lævigantibus, conſolidantibus emendantur, *curatoria* titulo â ſcholis exornata.

§. 252. *Cauſis* morbificis quæ eliminandis dicata eſt, *præſervatoria* dicitur, illisque tàm *proximis*, quàm *remotis internis* & *externis*, peccantibus nim. *ſubſtantia quantitate, qualitate, motu, loco &c.* adhibetur.

§. 253. Hinc non uno indicationum genere ſtat contenta, ſed vel *evacuatoriam*, cum materia toto peccat genere, vel *minorativam*, cum *quantitate* excedit, vel *alteratoriam* cum *qualitate exſuperante* vel *motu*, ſecundum *terminos* mandantes, tranſeuntes & recipientes, delinquens, *averſoriam*, *revulſoriam*, *derivatoriam*, *interceptoriam*, *repulſoriam*, quin ſi fir-

mata in fuerit, aliqua parte *diſcuſſoriam* modò, modò *præparatotiam* vel *emollitoriam*, ad *ſuppurationem* perducta *mundificatoriam* & *deterſoriam* efflagitat.

§. 254. Cæterùm quæ ſingulis debentur humoribus & vel *plethoram* vel *cacochymiam* parientibus, cum his omnium pleni ſunt practicorum libri, nolo in tranſcribendis iſtis multum, immorari & tempus perdere.

§. 255. Hoc ſaltem admonere tamen me oportet, in omnibus his adminiſtrandis, ultra partium poroſarum vitioſam diſpoſitionem atq; humoris peccantis exſuperantiam, progrediendum non eſſe, cum hac absque nec affectio ceſſet, neque novus ut advocetur, præcaveri queat. Hinc in ſiccitate pororum ultra eorundem in partibus ſiccis diſpoſitionem, exſiccantibus nimium uti velle, actum agere eſt.

§. 256. A *ſymptomatibus* tertia rerum p.n. deſcendit indicatio. Ut ut enim cum curatoria & præſervatoriâ multa habeat cōmunia: attamen diſtincta omninò ab illis exiſtit, ejusq; rei teſtis ipſe dolor eſt, qui diſtinctas indicationes, diſtinctaq; præſidiorū genera commonſtrat, qualia anodyna & narcotica ſunt.

§. 257. A *rebus ſecundum naturam unica* peti conſuevit, quæ *VITALIS* vocatur, á viribus triplicis corporis noſtri ſubſtantiæ partiumque ejus profecta, quâ temperies & συμμετρία caloris nativi per ſimilia conſervatur, partium tonus corroboratur, ſpecificis & adpropriatis confortatur. Quamdiu enim calidum innatum conſervatur, tam diu inde dependens partium temperies, quæ anima actionum omnium, ſuam in diſſimilaribus ſeu inſtrumentariis vim manifeſtè ſatis & valenter oſtendit, cum hoc ſine nulla naturaliter pororum occluſio aut apertio fieri ſit poſſibile.

§. 158. Natura igitur quæ calore hoc vivifico utitur ceu rectrice & opifice, morborum medicatrix ſeu quod idem eſt ens ſanationis primum exiſtit, cui medicus miniſter ſua operâ ſuccurrit, qui ut verba *Senis* venerandi ſe habent, ſuo officio dicitur eſſe perfunctus, cum ea quæ deficiunt reſtituit, quæ verò ſuperflua ſunt, aufert.

§. 259. Non autem quæ de pororum conſtitutione utrius-

usque

usq; ſtatus à me prolata ſunt, tàm anguſtis terminis circumſcribere poſſum, atq; factũ hoc video à methodicis *Themiſone*, *Theſſalo*, *Tralliano* & *aliis*, qui repudiatis cauſis omnibus, continente & procatarctica, ipſa quoque neglecta parte, omnem morbi hiſtoriam ad laxum & ſtrictum exque his mixtum retulerunt, infelici, ut ſolidè hoc *Galenus lib. de optim. ſecta. it. de ſect. ad eos qui introducuntur*, & ipſe quoque *Cornelius Celſus in proœmio*, oſtenderunt, ſidere, ut taceam promiſcuè remediis laxantibus & adſtringentibus in quovis laxo aut ſtricto uſi.

§. 260. Sed methodum dogmaticorum ſequens, quicquid ullo modo & cognoſcitivè & curativè ad pororum conſtitutionem integram ſervandam & læſam reſtituendam faceſſere videbatur, huc contuli, non diſputaturus an inflammatio pororum ad laxa & ſtricta referri debeat, ſed quomodo inflammatis ſubveniendum, cum ex eorum quoque numero ſint, quorum diſpoſitionem bonam, ſanitas, pravam verò morbus ſequatur.

§. 261. Supereſt igitur ut *materiam auxiliorum* eâdem qua incepi methodo, adducam.

§. 262. Et cum facilè, qui artem medicam diligenter pertractavit, conjiciat, omne remediorum genus recitatorum fontium, quod prædictis indicationibus ſatisfacere poteſt, hic locum habere debere: nihilominus tamen, ne in hac parte curatoris deficiam, breviſſimis, ut præſentis fert inſtituti ratio, penſum hunc abſolvam.

§. 263. E *chirurgico* poris inflammationem paſſis, *V. S. convenit*, ſiq; adfluxus adeſt ſanguinis verò *revulſoria*, ſi totum corpus plethora laborat, larga ejus evacuatio in oppoſito plerumque latere, inſtituta conducet.

§. 264. *Cucurbitulæ ſcarificatæ* vicariam quandoque V. S. operam præbent. In venenata materia è parte adfecta extrahenda, nemo utilitatem earundem non novit. Sic à vipera vel fera demorſas partes ſcarificamus, quo minus venenum ad cor appellet.

§. 265. *Non ſcarificatæ* materiam ſeu humores ex alto in ſuperficiem attrahunt, flatus diſcutiunt, nutrimentũ adducunt.

§. 266. *Frictiones triplicis generis* pro ægtorum natura

in condenſatis illis emaciatisque adhiberi valent. In ſiccitate nimia, ægro ſene aut debili exiſtente, meritò à *Galeno l.3. de tuend.ſanitat. & ſeqq.* repudiantur.

§. 267. *Dropaces, ſinapiſmi & veſicatoria,* latentes ſubtus humores ſeroſos evocant, frigidisque partibus calorem vitalem reſtituunt.

§. 268. *Cauteria* & *fonticuli* cauſæ mortificæ è poris ſenſim evacuandæ opponuntur.

§. 269. Idem ſentiendum de *particularibus chirurgiæ operationibus,* aut ipſis poris debeantur, aut parti cui inſunt, evacuandæ, emendandæ, & corroborandæ, ut in vulneribus, ulceribus, fracturis, gangræna &c.

§. 270. *Pharmacia* omnis vel ad *evacuandum vel alterandum,* quò *roborantia* & *ſpecifica vi partes adfectas reſpicientia* pertinent, dirigitur, quæ tum *toti* tum *parti* debetur, & vel *intra* aſſumitur vel *foris* adhibetur.

§. 271. Depromuntur è penu vulgo dicto *Galenico* & *Chimico, variæ formæ* & *figuræ* præſidia talia ceu notum eſt.

§. 272. Inter *evacuantia univerſalia* numerari veniunt, quæ humores à ſanguine diverſos, ſive ſeparatim exiſtant, ſive cum ſanguine conjuncti adhuc ſunt, educunt è corpore, quorum *duplex genus* eſt.

§. 273. *Mitius* agentium & *fortius* hoc expedientium, idque tum per *os*, tum per *alvum.*

§. 274. Ex *mitioribus* ſunt *lenitiva* quæ *emolliendo, laxando, humectando, lubricitando,* & *ſtimulando* fecalia recrementa in primis viis hærentia auferunt. Nam dum his ipſis repleta inteſtina ſunt, alterari poros eorundem ſolere haud inconveniens, ut taceam quod depletis viis hiſce, reliquarum partium adfectus minori cum difficultate removeri poſſint.

§. 275. Talia ſunt ex *ſimplicibus Galenicis pruna damaſcena, oleum commune, herb.4. emollientes, manna, caſſia, rhabar.* Ex *compoſitis, hiera picra, aloë roſata* & *violata, ſirupus roſar.ſolut. Electuar. lenitivum Florenzol.*

§. 276. Ex *chimicis, cremor* & *cryſtalli* ♀ri, *tinctura* ejusdem, *arcanum duplicatum Mynſichti,* tinctura *rhabarbari,* Extr. ♂*tis ſolutivum* cum *ſucco pomorum dulcium* paratum.

§. 277.

§. 277. *Fortiora*, vera ſunt *purgantia*, certum humorem vitioſum tum in toto tum in parte præſentem virtute propriâ, expellentia, veluti *agaricus, colocynthis, turpetum pituitoſos: ſcammonea, bilem, belleborus melancholiam, ſeroſos humores & flatus, gialapii radix, gummi guttæ. &c,*

§. 278. *Compoſitis Galenicis* adnumerantur ex *electuariis, de prunis ſolutivum* pro bile; *trochiſci albandale* pro pituita; *ſpec. diſenæ Montagnanæ* pro melancholia; *pulvis laxativus vegetabilis* pro ſeroſis.

§. 279. *Chimici* extollunt ſpecifica ſua ex *pulveribus, extractis, elixiriis, eſſentiis* concinnata, ex minerabilibus ♁*nio*, ☿*rio*, quin & ipſis vegetabilibus prædictis purgantibus.

§. 280. Talia ſunt *ſpiritus vitæ aureus correctus, elixir citri purgans, magiſt.* ♁*nii*, ☿*r. dulcificatus, vitæ correctus, luna hydragoga, ſolare purgans, Pillul. de* ☿*r. Quercetani, Panchymagogum Crollii.*

§. 281. *Uſus* autem tàm *lenium* quàm *fortium* eſt, ut *vel* per *os* aſſumantur & purgent, in *ſpecie* dicta VOMITORIA, ut ſunt *rad. aſari, electuar. ejusd. ſal vitrioli, ſirupus emeticus Angeli Salæ, vel* ut per *alvum* educant in *forma liquida*, ut ſunt *decocta, infuſa, potiones, ſirupi*, vel *ſolida*, ut *pulveres, pillulæ*, vel *mediæ conſiſtentiæ*, ut *electuaria mollia, paſſulæ laxativæ.*

§. 282. Per *alvum* cum injiciuntur, *enemata & clyſteres* appellantur, ex ſimilibus ingredientibus concinnata, cum ſcilicet ſimplicia ejusmodi in liquore convenienti coquuntur, proque morbi & ægri ſtatu ejus unciæ aliquot ſumuntur, cumq; electuario aliquo purgante uniuntur addito ſimul oleo & ſale, ſicque junctim per ſyphonem ano injiciuntur.

§. 283. Quo referuntur *ſuppoſitoria* ad alvum lubricitandam & recludendam ex ſevo, lardo, melle cocto, aloe *&c.* parata: vel *ungventa, linimenta, cataplaſmata, poma purgantia ſolutiva*, ſicubi horum pro delicatis neceſſitas adeſt aliqua.

§. 284. *Doſin* horum omnium tum *continuam* tum *diſcretam* monſtrat receſſus à naturali ſtatu, copia humoris peccantis, pars affecta & vires.

§. 285. *Modum* & *tempus adminiſtrandi, motus morbi abſentiaque prohibentium.*

§. 286. *Delectum, partium* poroſarum natura detegit, ſecun-

 dum

dum *ſitum connexionem, proprietatem doloris, actionisq́, præſtantiam.*

§. 287. *Præparantia* qualitati humorum peccantium debentur, aut ſimpliciter emendari aut una eliminari appetunt.

§. 288. Hæc *crudis* debentur humoribus attamen potentiam habentibus ad priſtinum revertendi ſtatum, vel tamen in mitiorem perducendi.

§. 289. Sic *bilioſis* tenuibus ex *frigidis & incraſſantibus* conducunt *roſæ, violæ, nymphea, ſirup. de papav. nitrum balſamineum, Sp. ⊖li & nectar ejusdem.* Eidem verò *craſſæ*, è *cichorio* petita *medicamenta. Betonica* præperat *pituitam*, fl. borraginis & bugloſſ. atram bilem.

§. 290. Inter *chimica* excellunt *univerſalia*, *elixir proprietatis, mixtura de tribus, ſpiritus aperitivus Penoti, clyſſus antimonii, arcanum ♀ri. cremor & cryſtalli.*

§. 291. Præmitti plerumq; ſolẽt purgantibus nõnunquàm cũ illis permiſceri, noñunquã illis alternis propinare vicibus. Sẽper ea eligenda quæ cum parte affecta ſimul, v.g. oculis, aurib9, cerebro, corde, ventriculo, convenientiam habent ſpecificam. Nec enim ſtatim quæ uni proſunt, ceu falſo methodici veteres credebant, alteri pariter conferunt. Oſtendit hoc *Gal. l. c.* cum auribus inflamatis roſatum ol. & acetum cõferre ſcribit, oculis non idem, acria enim reſpuunt.

§. 292. Nec ſolum his utimur cum evacuare univerſum corpus animus nobis eſt, ſed etiam cum partem determinatam v.g. caput, thoracem, ventriculum, renes uterum &c.

§. 293. Quemadmodum autem prædictæ partium poris non carent: ita & in gratiam horum, cum ſimul ægrotant, *errhina*, *apophlegmatiſmos*, *ptarmica, gargariſmos expectorantia, uterum purgantia &c.* advocamus.

§. 294. Qalia ſunt *ſuccus betæ, anagallid. flores lil. convall. hyſſopus, rad. ari,* ſcilla *præparata, ariſtoloch. rotunda.* &c.

§. 295. His ſuccenturiantur *ſudorifera*, humoribus in toto ſtabulantibus & per cutem expellendis, dicata *calida* & *frigida*, ut ſunt *calida* & *ſicca in tertio* gradu, *frigida & ſicca* in primo, tàm *ſimplicia* quàm *compoſita*.

§. 296. Laudantur inter cætera *rob. ſambuci*, *decoctum lignorum rad. chinæ, ſarſaparillæ, tinctura bezoardica. ſpiritus theriacalis Sal C.B. antimon. diaphoretic. lapis bezoar. uterque.*

§. 297

§. 297. *Alexipharmacum ſudoriferum* ſunt *univerſale Theriaca* & *Mithridatium, quibus* nonnulli *elect. de ovo Matthioli* & quod *Orvietanum* appellatur, adjectant.

§. 298. Uſurpari autem ſolent puro exiſtente corpore, nec debili ſed firmo. Cumque cutis omnium poris refertiſſima ſit, ejusq; pro tranſpiratione inſenſibili celebranda uſus nobiliſſimus cavendum erit ſedulò, ne incauta horum & intempeſtiva adminiſtratione is ceſſet, vel ſi modum exceſſerit, ſangvinem ſimul & ſpiritū exhauriat. Nihil enim tam ſenſibiliter vires dejicit quàm ſudor nimius atque intempeſtivus.

§. 299. *Diſcutientia* his analoga, flatulentam diſcutiunt materiam, ut ſunt *aquæ carminativæ. ol. cumini, ſpiritus cochl. lumbricor. terreſtrium*, non omiſſis quæ unicuiq; parti magis arrident & familiaria ſunt.

§. 300. *Diuretica* aquoſam & ſeroſam materiam ad renes ablegant, & in veſicam trudunt, è qua per urethram foras propellitur.

§. 301. Easdem cum prioribus duobus animadverſiones admittunt, nec prius adhibenda, quan materia tenuis ſatis ad has vias inclinet, qua ratione per occultos carnium meatus aquam intercutem per renes ferri experientia comprobat.

§. 302. Non autem in his acquieſcendum, ſed ſimul *alterantia* & *corroborantia* adſciſcenda, quæ intemperies vitioſas partium alterent, naturalem conſervent, tonum ſingularum confortent, & ita vires cordis præprimis, ac cerebri, tueantur.

§. 303. Hæc agant itaq; tam *manifeſtis* quam *occultis* qualitatibus quæ nō *internè* modò ſed etiā *externe* partibus affectis inferri debēt.

§. 304. Cum] verò de hac materia ſuperius haud parumper actum fuit, crambem bis coctam in menſam apponere nolo, ſelectam tùm ſimplicium tum compoſitorum utriusque fori ſuppellectilem *Samuelis Schönbornii* omnium adinſtar laudans & nominans. Sive enim calida ſive frigida, ſicca, humida &c. hæc vel illa ventri, capiti, cordi, epati, utero, nervis præſcribenda appetis, vel unicus is erit, qui cornu copiæ ſuum quæſitus largiter tibi, lector amice communicabit.

§. 305. Quæ autem *ſingulis* partibus nociva ſunt, hæc non minus poris earundem damnoſa quoq; exiſtunt. Temperata affert *pulmo*

hinc

hinc *dulcibus* delectatur, amara *jecur* cũ leni ſimul adſtrictione, *oculus* indignatur multũ ſiccantibus, *auris* humida non fert; ſpirituoſis lætatur *cor* & *cerebrum*; *acidis ventriculus*; *uterus ſuaveolentia* detrectat; *artus multum* humefieri aut nimium areſieri malè ferunt. Quin in omnibus his adornandis ad naturam partis oculus cumprimis dirigendus, nec plus ac decet alteremus, & ubi robore opus non eſt, fruſtrà aërem verberemus.

§. 306. De *medicamentis indeterminatè alterantibus & evacuantibus*, *thermis*, veluti *balneis*, & *acidulis*, quin ipsâ *ſalivatione* per ☿*rialia medicamenta* inſtituenda, quid poris occluſis & laxis conferant, quamq; ipſum corpus à ſarcina humorum vitioſorum liberent, pleni itidem ſunt practicorum libri, uſumq; horum in particularibus methodi univerſalis oſtendet exercitatio. Quis enim ignorat quot contumaciſſimæ viſcerũ obſtructiones, tophi, ſcirrhi &c. à prædictis caute adhibitis benedictis remediis, incantamenti inſtar, fruſtra tentatis aliis, fuerint curati?

§. 307. Propero ad *tertium* præſidiorum *fontem*, ſalutem pororum procurantem, eſtque is qui *materiam rerum ſex non naturalium*, ſupra recenſitarum ita ordinare novit, ut illis tanquã ſimilibus naturalis pororum conſtitutio conſervari, morboſa verò per illa tanquam contraria, emendari & abigi queat.

§. 308. Communi nomine *Diæta* vocatur tum *aërem* imprimis autem *cibum* & *potum*, quæ his inſerviunt, *ſomnum*, *vigilias*, *motum*, *quietem*, *excreta & retenta* cum *animi pathematis* ita diſponens, ut ubi laxandum adſtringentibus ſuperſedeat, vel contra urgentibus his, illa negligat; pro ratione morbi materiæq; peccantis *tenuem* modò, *mediocrẽ* modò vel *craſſiorẽ* deniq; *victũ* præſcribens. Viribus autem ſemper incumbat, qui morbum vincant & ſanitatem reducant. Pori ſiquidem ut meatus minutiſſimi, multum ſucci diu ferre nequeunt, quem ideò aut profundere iterum neceſſe habent aut non admittere, aut admiſſum tamen corrumpere.

§. 309. Modicus ergò quisq; ſibi medicus eſto, à nimio ſiquidem abhorret natura, quæ aliâs ſui conſervantiſſima eſt.

§. 310. Sicuti autem in victu ut plurimum delinquunt ægri: ita quoque maximè læduntur, ſicque diætâ & abſtinentiâ, non quidem inepta illa triduana aut alternis diebus ſaltem inſtituta methodicorum, ſed ex indicatione vitali nata, multi magni morbi curati ſunt.

§. 311. Tametſi lubenter concedam jejunium aliquot dierum, ſi vires id ferant, tàm extremè periculoſum non eſſe. Sunt enim morbi qui plus jejunio quam medicamentis profliguntur, qualis obeſitas nimia eſt.

§. 312. Sed receptui canendum eſt. In magnis ſiquidem aliquid voluiſſe ſat eſt. DEO ſit honor, laus & gloria in ſempiterna ſecula.

F I N I S.